E E 7

62856/B

C
a+2

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark
MEAD, R.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30526139

Horſman.

Us

DE
PESTE.

~~L. l. 34~~
L. n. 26

DE PESTE LIBER:

Auctore
RICHARDO MEAD, M. D.
Collegii Medicorum Londini,
& Societatis Regiae Socio.

LONDON · MEDICAL SOC

LONDINI:
Impenſis GUIL. & JOH. INNYS,
M.DCC.XXIII.

Honoratiſſimo Viro,

JACOBO CRAGGS,

Regi ab Epiſtolis,

S. P. D.

RICHARDUS MEAD.

TIBI, vir illuſtriſſime, ſubmiſſe offero, quae de peſte praevertenda cogitata juſſu tuo conſcripſi. Cum primum

enim nunciare mihi dignatus eſſes, viris principibus, qui, rege abſente, ſummam rerum adminiſtrabant, ad communem ſalutem neceſſarium videri, ut idonea traderentur conſilia, quibus peſtis inter Gallos ſaeviens a nobis averteretur, hoc muneris libentiſſime ſuſcepi: quod per tempus autem breviſſimum, ac paululum otii ab aliis neceſſariis occupationibus mihi conceſſum, tantummodo licuit,

licuit, ſumma potius cautionis adhibendae capita, quam ordinatam praeceptionum ſeriem propoſui.

ALTERUM conſilii caput, in quo de quadrageſimis agendis, aliiſque rebus eodem ſpectantibus, diſſeritur, iis, quae apud alias gentes uſu comprobata ſunt, convenire, additis quibuſdam novis praeſcriptionibus, tu, qui in Europae hiſtoria optime

time verſatus es, facillime percipies. Alterum, quod ſequitur, de contagione, ſi huc adferatur, ſupprimenda, licet a diſciplina inter nos olim, ac vulgo apud exteros recepta, plurimum diſcrepet; nullus tamen dubito, quin rationi conſentaneum reperiatur.

NIHIL magis in votis habeo, quam ut rationes prudentiſſimae, de priori praeceptorum genere ab

iis,

iis, penes quos eſt hujus rei adminiſtratio, & initae & ineundae, poſterius inutile reddant: nihilominus tamen expedit arma nobis ſemper adeſſe, quibus hoſtem adeo formidabilem propulſemus.

UTINAM ſane hoc breve opuſculum, ut ſingularis tuae in patriae ſalutem vigilantiae documentum, noſtrique inſuper ſummi in te obſequii

&

& obſervantiae teſtimonium, publice accipiatur. Vale.

A. d. VII. cal. Decembris,
ann. M. DCC. XX.

LEC-

LECTORI S.

QUAE fuerit operis hujus occaſio, quid praeclariſſimi ſcriptoris conſilium, & quid in eo praeſtiterit, ex ipſius epiſtola & praefatione facile ediſci poſſunt. Quod ille autem patria lingua in uſum popularium ſuorum confecit, id jam Latine verſum cum toto orbe literario, ut par erat, communicatur. Quanti ab iis aeſtimatum fuit, quorum gratia compoſuit, ex eo plane manifeſtum eſt, quod intra paucos menſes octo illius editiones divenderentur. Nec omnino dubitari poteſt, quin omnes eruditi maximo videndi ſtudio teneantur, quae vir tanti nominis de morbo ſcripſerit, qui peritiſſimorum medicorum ingenia adeo exercuit. Optandum ſane fuit, ut idem vir praeſtantiſſimus, qui optime potuit, hac in re gratum illis facere voluiſſet. Sed cum ob curas graviores, quibus in humani generis ſalutem aſſidue occupatur, id nequaquam ſperare licuit; ne

ne tam opportuni beneficii fructu exteri utique privarentur, alia ratione providendum fuit. Ex octava autem editione Anglicana haec verſio facta eſt, quae tum rationum pondere, tum auctoritatum atque obſervationum copia, quibus ſingula, quae traduntur, praecepta confirmationem accipiunt, priores omnes longe exſuperat. Etenim quod primum tanquam breve commentarium, prout temporis ratio poſtulabat, edebatur; ut ex epiſtola primae editioni praefixa liquet, quae hic exhibetur; in juſtum nunc volumen excrevit, quo argumentum, ut per ſe difficillimum, ita praeſenti rerum ſtatu utiliſſimum, plene & eruditiſſime tractatur. Quanquam autem id ante omnia propoſitum fuerit, ne ab illuſtriſſimi auctoris mente verſio haec uſquam recederet; nonnulla tamen hic paſſim leguntur, quae in Anglicana editione non comparent: nam juſſu ipſius quaedam planius explicata, & quaedam nova nunc primum addita fuerunt. Vale.

PRAEFATIO.

CUM primum hunc tractatum ſcripſi, nec praeceptorum tunc traditorum rationem tam diligenter exponere, nec tanta auctoritatum copia eadem confirmare, quam alias feciſſem, temporis anguſtiae mihi permiſerunt. Quae igitur antea deſiderabantur, aliquatenus ſupplere nunc conatus, peſtem, ejuſque cauſas plenius deſcripſi, & exempla quaedam enumeravi, quae rationes a me propoſitas, ubi tentatae fuerint, ſucceſſu proſpero non caruiſſe com-

probant. Item breve de peſtis curatione caput ut adjicerem adductus fui, cum cogitarem quam longe plerique auctores in eo erraverint, quod tantum cumulum inutilium ac ſaepiſſime noxiorum medicaminum praeſcripſerint, quibus ſpecioſa nomina antidotorum, ſpecificorum, & alexipharmacorum tribuunt: magnaque, ut arbitror, convenientia, quam inter peſtem & variolas obſervavi, cauſa ſatis juſta videbitur, cur de morbi mihi adhuc inexperti curatione differerem.

Praeterea morbi hujuſce contagioni demonſtrandae magis nunc immoratus ſum, quam, poſt longam per tot ſecula jam in Europa peſtis experientiam, facto unquam opus fore credidiſſem; niſi clariſſimos quoſdam in Gallia medicos contrarium probare nuperrime conatos eſſe, haud ſine admiratione obſervaveram; idque dum

dum luculentiſſima, quibus confutari potuiſſent, argumenta oculis obverſarentur. Et profecto nequeo quin demirer cl. Chicoyneau, caeteroſque medicos, qui primum obſervationes in peſtem, dum Maſſiliae graſſabatur, ediderunt; cum in cogitatis ſuis, quae poſtea in illas obſervationes vulgarunt, virum peſte correptum fuiſſe narrant, dum mulierem adoleſcentem humo mandaret eo morbo extinctam, ad cujus cadaver nemo alius accedere audebat; neque tamen morbi cauſam attribuunt ulli contagio a muliere derivato, ſed dolori tantum, ob mulieris, cujus nuptias ambierat, obitum contracto, ac diarrhoeae, qua aliquandiu laboraverat*. Non dubium eſt, quin haec ad vim morbi augendam multum contulerint, imo

* Reflect. ſur la maladie de Marſeille & Aix, p. 38, 39, 40.

& contagioni eum obnoxium reddiderint; at non video, quidni infectus fuiſſe credatur, cum rei adeo perſpicua eſſet ratio. Porro ne minimam quidem rationis ſpeciem magis percipio, cur peſtem ex contagione ortam negent, in quam generoſam quandam virginem incidiſſe tradunt, quae peſtilentem tumorem, in ancillae ſuae corpore jam tum eruptum, ſubito forte conſpexit; nec aliam morbi cauſam, praeter repentinum mentis terrorem, agnoſcant*.

Sed revera his medicis illa placuerat ſententia, quod Maſſiliae longus ciborum inſalubrium uſus fecerat peſtilentiam; & in animis iſta opinio ita penitus inſederat, ut ne evidentiſſimis quidem argumentis

* Ibid. 113.

evelli

evelli potuerit. Et hoc plurimum evenire ſolet, ſi conjecturis indulgentes, rerum naturam inveſtigandi veram rationem negligamus.

Haud me fugit, opinionem ipſis ſuam experimentis quibuſdam, iiſque ſane egregiis, quae fecerat cl. Deidier, ſatis videri confirmatam*. Is enim bilem cadaveris peſte infecti in canis venas injecit; quae, tentamine ſaepius iterato, omnia peſtilentiae ſigna, etiam externa illa glandulorum tumorum & carbunculorum, ſemper produxit. Unus ex canibus, in quo illud experimentum ita ſucceſſerat, per trimeſtre antea ſpatium cadaverum infectorum carnibus veſci, & ulce-

* Journal de ſçavans, du 9. fevrier, 1722. & Obſervations ſur les cauſes de la peſte de Marſeille, & ſur la maniere dont cette maladie ſe communique, par M. Deidier, Robert, & Rimbaut, *en MS.*

rum

rum peſtilentium panniculos rodere illaeſus, obſervabatur.

Cum haec autem experimenta in illum finem inſtituebantur, ut rationes ex iis confici poſſent, auctor accuratius proceſſerat, ſi prius tentaſſet quid bilis in canis ſtomachum recepta feciſſet; item ſi expertus eſſet quem effectum alii praeter bilem corporis ſucci, ut etiam ſanies ex peſtiferis ulceribus manans, in venas injecta habuiſſent. Pro certo enim ſtatui nequit, bilem, quocunque demum modo in corpus inſinuatam, idem efficere potuiſſe: quandoquidem ſcimus venena quaedam validiſſima eſſe, cum ſanguini recta admiſceantur; quae tamen in ſtomacho nihil valent: ſic viperae venenum, in vulnere quantumvis perniciosum, ſine noxa in ſtomachum immitti poteſt *. Et ex altera

* *Vid.* Mechanical account of poiſons, p. 24.

parte

parte alii forſan corporis ſucci, praeter bilem, in venas injecti, item bubonum vel carbunculorum ſanies, morbum facere potuiſſent; ſicut in variolarum inoculatione, contagium a puſtularum pure impertiri cernimus. Et revera poſterioribus experimentis inventum fuit, bilem infectorum hominum in canis ſtomachum immiſſam morbo eum afficere non potuiſſe; contra vero ſanguinem e corpore cujuſdam peſte extincti eductum, & in canis venas injectum, morbum procreaſſe*. Rem ſic ulterius perſequendo mihi gratiſſimum fecerunt, quia de duabus conjecturis, quemadmodum contagio contrahitur, a me traditis, quid potiſſimum ſtatui debet, quadantenus hinc percipiatur. Etenim cum ex illis ſuccis, ſanguini recta

* Lettre de M. Courier a M. Deidier, *&* Extr. d'une lettre de M. Deidier, *en MS.*

admiſtis,

admiſtis, morbum concipi compertum fuerit, qui in ſtomacho nihil iſtiuſmodi effectus habuerunt, vero ſimillimum videtur contagionem plerumque per pulmones recipi. Utile tamen erit cautiones, harum conjecturarum alterutra nixas, haudquaquam negligere; niſi prius res hujuſmodi corruptas in ſtomachum immiſſas, aeque hominibus, ac canibus, non nocere pro certo habeatur: praeſertim cum obſervatum fuit, bilem infectam canem haud parum perturbaſſe, & indicia quaedam inſignia produxiſſe, cujuſmodi inter alia fuit foetida urina: nam ſi bilis hujus effectus in cane majores eſſent, quam eadem quantitas bilis non infectae in animali, peſti haud communiter obnoxio, peperiſſet; homo forſan ab infectis ſuccis, in ſtomachum receptis, morbum hunc contraheret.

Sed ut hoc miſſum faciam, illa eſt argumentandi ratio, quam ex his experimentis ducunt*: Quoniam bilis canes inficit, qui ab hominibus eodem modo, quo a ſe invicem homines infici putantur, noxam non contrahunt: concludunt igitur non ſolum bilem magis, quam caeteros corporis ſuccos, contaminari, quo nihil amplius inde colligi poteſt; ſed etiam homines non eo modo, quo vulgo creditum eſt, morbo implicari: bilem enim primum vitiari, atque hoc vitium alimento inſalubri neceſſario tribuendum eſſe; quo bilem potiſſimum affici volunt. Adeo feſtinanter concluſiones ducunt! At neque certum eſt bilem citius, quam alios humores, inſalubri victu corrumpi; neque,

* Obſervationes MS. ſupra citat.

licet maxime corrumpatur bilis, eam vitio ſuo morbum producere. Cum morbus, impertiendo praeter naturae modum ſanguini & humoribus acrimoniam, operetur; non utique mirum eſt, ſi humores iſti, quos maxime acres finxit natura, vim morbi praecipue ſentiant: non autem inde ſequitur, bilem poſſe adeo corrumpi, ut, nulla contagione contracta, morbum generet. Et mendoſe prorſus colliget, qui homines, ſi inter aegros verſentur, peſte inſici non poſſe affirmaverit; quia canes, ſi ad homines ea laborantes accedant, non inficiuntur. Contra, cum humano corpori ineſſe ſciamus humores, qui morbum diverſi generis animalibus, nec alioquin fere eidem obnoxiis, communicent; eo ſane probabilius eſt, per effluvia, quae homines illo infecti emittunt, in alios homines traduci poſſe.

CONTA-

CONTAGII hujus argumenta his inter Gallos medicis ob oculos admodum perſpicua fuiſſe conſtat, non modo ex illis exemplis, quae ab ipſis memorata eſſe ſupra oſtendi: ſed etiam ex iis, quae medici eximii le Moine & Bailly* ſcripſerunt, partim de modo, quo peſtis Canonicam apud Gabalos afferebatur; partim vero de exemplo quodam magnae veneni hujus ſubtilitatis, quod Mariologii accidit, ubi in templo, quo ex infecta domo quidam venerat, non pauciores quam ſexaginta homines inficiebantur. Jam peſtis Maſſilia Canonicam hoc pacto tranſivit: Homo quidam ad remos damnatus, qui Maſſiliae veſpillonis officio fungebatur, inde ad ſancti Laurentii de Rivedolt oppidulum,

* *Vid.* Lettre de Meſſieurs le Moine & Bailly.

a Correiaco leucam diſtans, aufugit. Ibi in quendam Correiaci incolam, propinquum ſuum, incidens, tunicu-lam ei, ac par tibialium, quae ſecum advexerat, donavit. Propinquus ille domum reverſus, intra biduum triduumve obiit, neque multo poſt tres filii una cum matre conceſſerunt. Filius ejus, qui Canonicae habitabat, huc ſe contulit ad humandam familiam, ac rediens dono dedit pallium, quod attulerat, ſororio ſuo, qui lectum eo ſternens, puerulum, cum ipſo ſimul dormire ſolitum, intra unum diem amiſit, & biduo poſtea uxorem, atque ipſe tandem intra ſeptem aut octo dies deceſſit. Parentes denique defuncti bona adeuntes, eodem fato, quo reliqua haec infelix familia, perierunt.

Hinc abunde manifeſtum eſt, Gallicis medicis nihil cauſae fuiſſe, cur, contra communem opinionem,

peſtem contagioſam eſſe negaverint. Eatenus tamen illorum rationem habui, ut in contagione probanda diutius moratus ſim, ne quis virorum opinione, qui in hoc morbo adeo fuerunt experti, in errorem duceretur; in re tanti praeſertim momenti, ut omnia de quadrageſimis praecepta, totumque fere conſilium noſtrum, ea nitantur. Si haec enim opinio falſa probetur, quadrageſimae, reliquaeque omnes id genus morbi avertendi rationes, ut prorſus inutiles, rejici debent. Sed cum mihi adhuc perſuaſiſſimum ſit, peſtem morbum eſſe contagioſum, in praeceptis, quae ad quadrageſimas ſpectant, nihil immutavi; in quibus nihil, ut ſpero, a me propoſitum fuit, quod commerciis obſit, quandoquidem ea, quae ſuaſerim, parum ab iis ſunt diverſa, quae in omnibus Italiae portubus, negotiatorum mercatu frequentatis, lociſque

aliis,

aliis, jam longo uſu recepta fuere. Et profecto ſi vicinis noſtris eſſemus in hoc remiſſiores, nullus dubito, quin periculi illis a nobis impendentis metus noſtrorum commerciorum libertatem maxime intercluderet.

Ut paucis rem expediam, nullà cauſa mihi librum hunc jam recenſenti inventa fuit, cur a ſententia mea recederem; aut quicquam immutarem in praeceptis, quae vel de quadrageſimis agendis ad peſtem a regione qualibet arcendam tradidi; vel de eadem, ubi advenerit, tractanda: contra autem certioribus argumentis impellor, ut credam illa eſſe morbi naturae aptiſſima, ideoq; ut plurimum, quibus utamur, maxime idonea. At vero quatenus expediat, pro vario rerum publicarum ſtatu, poteſtatem ad ſingula eorum exequenda neceſſariam concedere, non eſt medici definire.

Poteſtas

Poteſtas haec ſine dubio iis limitibus ſemper coerceri debet, ut populi jura & libertas haud unquam in periculum adducantur. Equidem ut nihil aliud mihi in hoc negotio ſuſcipiendo propoſui, quam ut in publicum conſulerem, & genus humanum in omnium calamitatum triſtiſſima, quoad poſſem, ſublevarem; ita nihil aegrius ferrem, quam ſi quid a me profectum, anſam vel minimam crudelitati & oppreſſioni praeberet.

At quaenam cauſa ſit hujuſmodi aliquid verendi ex quoquam a me propoſito, ſane non percipio. Nam quid futurum eſt periculi, ſi, peſte graſſante, poteſtas ea adminiſtrandi, quae ad populi tractationem pertinent, vel concilio ſalutis, vel aliis magiſtratibus permittatur, a quibus, ſicut a reliquis omnibus in civili aliquo munere conſtitutis, quemad-

modum in officio ſe geſſerint, ratio exigi poſſit? Id tamen curandum viris in republica exercitatioribus relinquo. Certum autem ſcio, & aegros humanius tractatum, & morbi progreſſum melius cohibitum iri, per vias hic traditas, quam per alias quaſlibet, vel in noſtro, vel in aliis regionibus, hactenus fere adhibitas.

Consuetudo apud nos, ſenatus decreto rata, quaſcunque peſtis occupaverit familias, in ſuis aedibus, tanquam in carceribus, concludendi, nemini aut ingrediendi, aut egrediendi copia conceſſa, iis tantum exceptis, quos ex publica auctoritate neceſſaria aegris officia praeſtare oportet, acerbiſſimae certe ſeveritatis multum prae ſe ferre mihi videtur: nam ejuſdem morbi periculo totam familiam objiciendo, omnes in mortis genus, ſi quod

aliud

aliud eſt, ſeveriſſimum quodammodo tradit. Cuicunque igitur id accidit infortunii, ut primus in ullam familiam morbum intulerit, intolerabilem iſtam anxietatem & languorem animi, quae hunc morbum maxime comitantur, multo impenſius augebit moleſtiſſima illa cogitatio, quod propinquos & amicos ſibi chariſſimos in idem exitium conjecerit. In ſumma, hac demum ratione efficitur, ut morbus pro ſingulis hominibus, quos alias forſan tolleret, totas jam familias abripiat.

Tractationis ratio apud Gallos ſuis, iiſque haud levibus, incommodis non caret; ut nuper etiam cl. Hecquet, medicum Pariſienſem, merito queſtum fuiſſe video *. Ae-

* Traité de la peſte, p. 255, &c.

grotorum in noſocomiis coarctatio nulli uſui eſſe poteſt, imo potius contagionem augebit & diſperget, & praeterea ipſos aegros ſummis difficultatibus afficiet. Miſeriarum, quibus humanum genus opprimit hoſtis hic infenſiſſimus, ea non eſt minima, quod, cum leviores calamitates hominum animos ad manſuetudinem & miſericordiam movere ſolent, in hoc malorum graviſſimo contrarium evenit. Sive enim pravae indolis homines, his turbidis tempeſtatibus ſpe impunitatis inducti, malo ſuo ingenio, quod poenarum metus alias refrenat, laxiores habenas remittant; ſive aſſiduo calamitatum anguſtiarumque conſpectu mentes hominum quaſi occalleſcant, omnemque humanitatis ſenſum penitus exuant; ſive ex alia quacunque cauſa exoriatur: certum eſt iis tempeſtatibus, quibus omnes oportet collatis viribus eniti,

quo

quo furori communis miſeriae obſiſtant, homines adeo nullam officiorum inter ſe rationem habere, ut contra, feriſſimae crudelitates, aliis temporibus ignotae, ab iis ſaepe exerceantur. Ita refert Diemerbroekius ſe multoties vidiſſe noſocomia ſceleratorum curae concredita, qui non tantum per inhumanam negligentiam multis pereundi cauſa fuerunt; ſed etiam ipſi nonnunquam infirmioribus, aut quorum foetida ulcera ſanationem difficilem reddebant, mortem ſuffocando accelerarunt. Malebant igitur aegri multis in locis ſub dio per agros decumbere, ubi vel tenuiſſimi aliquid tegminis nanciſcerentur; quam ſalutem ſuam barbaris iſtis noſocomiorum cuſtodibus committere *. Ut finem faciam, etſi primum aegros,

* Diemerbroekius de peſte, p. 120.

dum pauci ſint, ex oppido educere, ſola ſit probabilis morbum ſiſtendi via, utpote qua contagionis cauſa tollitur; tamen ſi haec minime ſucceſſerit, morbuſque paſſim ſe nihilominus diffuderit, non ulterius prodeſſe poteſt, ideoque eſt omnino rejicienda.

Item rigida diſciplina, quae apud Gallos ad valla, quibus loci infecti cinguntur, obſervatur, plurima ſecum importat incommoda. Omni enim tranſitu ab infectis locis omnino intercluſo, eidem communi periculo, tam a morbo, quam a maleficiis illic admiſſis impendenti, ſubjiciuntur illi, quorum fortunae evadendi copiam alioquin praeberent. Et hoc profecto, in omni regione libera, nihil aliud aeſtimandum eſt, quam libertatis hominum, juriſque naturalis violatio, nullo unquam pacto toleranda.

His

His jam incommodis rite expenſis, mira voluptate afficior, quod praecepta noſtra iis prope, imo penitus, ſint immunia; & juſta tamen morbi ratio habeatur. Quum primum aegrorum numerus increverit, ſuadeo ut domi maneant, nec aſperrimis iſtis legibus aut ipſi, aut ipſorum familiae, uti olim, coërceantur. Recte forſan praeceperim, ne, qui domum infectam vel frequentant, vel habitant, unquam foras progrediantur, quin longum baculum coloris cujuſdam ſingularis ſecum circumferant, vel aliud quodlibet ſignum, quo viſo, qui obviam eant, a liberiori cum illis congreſſu & colloquio cavere moneantur: quem morem in locis quibuſdam hiſce occaſionibus uſitatum fuiſſe intellexi. Aegros velim, non niſi ſub morbi initium, domibus emigrare, dum ſine incommodis jam dictis

dictis adhuc fieri poſſit, & ab ipſis plerumque exoptari debeat. Vix unquam notum fuit, quin morbus inter pauperiores primo ſit coortus. Jam hujus diſciplinae legibus ii ſoli adſtringentur, quorum aediculae prae ſpatii anguſtia aegrotantibus ſint admodum incommodae. Noſtrum igitur conſilium eo praeſertim ſpectat, ut pauperibus, qui primi morbo fuerint correpti, ſubveniatur, in domicilia ſuis commodiora eos removendo, ubi omnia ipſis neceſſaria melius quam domi ſuppeditentur. Nec tam periculoſum erit illos dimoveri, quam in morbo adeo terribili imperiti facile credunt; quum in variolis id tuto quotidie fiat. Et quemadmodum ſupra obſervatum fuit, aegros in noſocomiis publicis ab immiti miniſtrantium tractatione multa ſaepe paſſos fuiſſe; hic paululum admodum, aut nihil eſt, quod ex ea

parte

parte timeatur: hanc enim aegrorum migrationem ſuaſi, antequam longa calamitatum ſeries maleficia & animi duritiem produxerit. Imo ſperandi locus eſt, fore ut diligentiſſime potius curentur, quum morbi refrenationem, & ſuam idcirco ſalutem, omnes ex ea re pendere crediderint. Porro ut haec tractatio & tuta & utilis erit aegris, ita in rem ſanorum, vel in eadem familia, vel in vicinia commorantium, potiſſimum conducet. Quandoquidem enim pauperiores labore ſuo quotidiano victum quaeritant, ubi primum inter eos peſtis eruperit, aegrae familiae una cum vicinis, ſi cura publica non relevantur, deſtitutae, penuria interibunt, ni forte morbi progreſſus vitae finem properaverit.

Quoniam compertum fuit peſtem inter pauperes ſemper fere exoriri

riri, hanc ob cauſam, quum primum hoc argumentum tractavi, in praeceptis de aegris removendis nihil diſcriminis, pro diverſis illorum fortunis, feci: quod tamen utcunque nunc, ne cui foret cavillandi locus, habendum ratus, oſtendi quid agendum ſit, ſi quo caſu inſolito peſtis opulentam familiam ab initio invaſerit: nihilque in ea re praecepi, cui me lubentiſſime ſubmittere noluerim. Multo enim mallem domo auferri aegrotus, quo familiae ſaluti conſulerem; quam ut omnes eodem loco concluſi, mortis periculo ſimul exponeremur. Haec familias aegras tractandi ratio, ſicut omnium eſt clementiſſima, quae, curae alicui de inhibendo morbi progreſſu conjunctae, excogitari poſſint; ſic iis, quibus olim utebamur, alias ob cauſas longe praecellit. Nam per ea, quae monui, praecipitur tantum initio morbi paucarum

rum aliquot familiarum diſceſſus; domos autem occludendi inſtitutum per totum morbi tempus continuabatur. Peſtis ita curata vix ad decem forſan perveniat familias: imo exempla adduxi, quibus hac ratione intra unam reſtiterit.

Quod ſpectat autem ad infectos locos vallo cingendos, eam rem ita inſtitui, ut nemini cauſa ſit de tractatione duriori conquerendi; cum cuilibet ex loco infecto egredi liceat, ea lege, ut in loco quodam tuto per breve ſpatium trium circiter hebdomadum quadrageſimam peragat. Nemo igitur in oppido infecto manere cogetur, quem ſua ipſius conditio illic non retinebit.

Haec pars praeceptorum non tam generatim, quam reliquae, traditur; quia loca quaedam nimis ſpatioſa ſunt, quam ut illam admittant; quo

factum eſt ut reſtricte praefinive-rim. Sed uti hinc multum in-commodi ad reliquam pervenit re-gionem, ita ne minimum quidem commodi loco incuſtodito adfertur. Nam cum omnes, qui ex infecto loco exeunt, literas quadrageſimam ab ipſis tranſactam ſignificantes cir-cumferant, quibus omnis amovea-tur ſuſpicio; viatoribus iter erit lon-ge facilius, & minus, quam alias, periculoſum. Quod quia neglectum fuerat, quando peſtis ultima Lon-dini graſſabatur, difficile erat per-fugium reperire, dum rure paſſim ab advenis omnes metuebant; & diverſoria iter ab urbe facientibus erant intuta, cum certo ſciri non poſſet, quin ab aliis ex eodem loco profectis contagione fuiſſent in-fecta.

Hoc caeteris partibus regionis valde officere minime dubitandum eſt:

eſt: negari enim non poteſt, ad peſtem in Gallia reprimendam conatus eorum multum contuliſſe. Morbus inter illos adeo graviter ſaeviit, ut niſi rationes idoneae ad vim ejus coërcendam adhibitae fuiſſent, nihil cauſae reſtare videtur, quo minus univerſam regionem jam diu pervaſiſſet. Nam ultima peſtis, qua Anglia laboravit, quamvis longe fuerit moderatior, nec anno diutius Londini manſerit, in maximam tamen Angliae partem ſe diffudit: in Cantium, ad Dubrem uſque, penetrans; in Suſſexiam, Hantoniam, Durotriges, Eſſexiam, Northfolciam, agrum Cantabrigienſem, Northantonienſem, Warwicenſem, Derbienſem; & ne plura loca commemorem, ad Novum uſque Caſtrum*.

* *Vide* Gazettes ann. 1665, & 1666.

Sicut igitur per totum hunc tractatum, quemadmodum praecepta noſtra cum peſtis natura conveniant, ſumma, qua licuit, diligentia expendi; ita aliquantiſper hic diſquiſivi, quouſque illis uti expediat.

Nunc autem cuilibet aequo rerum aeſtimatori liberum judicium relinquo, an haec monita, ex omnibus hactenus inventis, non maxime ſint idonea, quae legum auctoritate ſanciantur. Sed non noſtrum eſt leges ſancire. Et aliquando forſan neceſſarium ſit, ob cauſas, quas in praeſentia non dicam, praejudicatis vulgo opinionibus & clamoribus locum dare, legumque interim, quae fieri poſſint, optimarum ſanctione ſuperſedere; praeſertim cum longius abſit periculum. Sed ſi unquam peſtis (quam Deus avertat)

ad

ad nos tranſierit, non dubito, quin vox populi & ſenatus prudentia in illud concurrant, ut viae ineantur his, a nobis traditis, non multum abſimiles: ſaltem ut temporis priſtini acta, inhumana prorſus & exitioſa, reſcindantur.

At tempus eſt de re adeo ingrata finem ſcribendi facere: quam tractare minime voluiſſem, niſi officiis, ut potui, patriam demerendi ſtudium, hoc impendentis periculi tempore, me eo impuliſſet.

Quae igitur dicenda habui, claudit narratio, legi ſane digniſſima: quam cum loco ſuo adhibere non licuit, quia non ante finitum hoc opus ad manus pervenit, hic integram deſcribam. Continet rationes, quibus potentiſſimo regi noſtro, Georgio, uti placuit, cum novem circiter aut decem abhinc annis, Germanicas

nicas ejus ditiones peſtis invaſerat. Accepi autem a viro eximio, Backmeiſtero, regi ab epiſtolis, Hannoverae, cui cura mandata haec publicandi commiſſa fuit. Ut hanc igitur narrationem mecum communicaret rogavi, cognoſcendi avidus, quam prope ad ea, quae praeceperam, rationes iſtae accederent, quas proſpere admodum ceſſiſſe inaudiveram. Et ſumma profecto voluptate percipio, eas praeceptis noſtris maxime conſentaneas eſſe, & in tantum profuiſſe, ut non ultra pauca iſta oppida & pagos, in ſcripti ſequentis initio memoratos, peſtis evagaretur.

Hannoverae, Feb. 10. *N.S.* 1722.

Annis 1712. & 1713. peſtis hic in ſequentibus locis ſaeviebat.

Oppidis.

Luneburgi,
Cellæ,
Harburgi, bis.

Pagis.

Nienfeldt
Holdenſtedt,
Melle,
Bienenbuttel,
Achem,
Trebel,
Brinckem,
Goldenſtedt,
Fallingboſtel.

In ultimo ex his pagis tres operarii, qui ab Hamburgo aufugerant, & in granarium noctu ſe abdiderant, mane proximo illic mortui ſunt inventi, & in cadaveribus peſti-

lentes notae comparuerunt; ſed inceníſo granario, contagionis progreſſus impediebatur.

Haud citius pagus aliquis inficiebatur, quam, vallo circundato, a vicinorum commercio arcebantur incolae. Quibus ſic incluſis commeatus ſtatim ſuppeditabatur; mittebatur etiam medicus, & praeſertim chirurgi aliquot; item ſacerdos, qui infectis ſpeciatim operam daret; nutrix quoque, cum veſpillonibus, aliiſque miniſtris neceſſariis.

Praecipua rei totius adminiſtratio in duobus verſabatur: quorum alterum fuit, ut aegri a ſanis ſepararentur: alterum, ut domus, quas peſtis intraverat, bene perpurgarentur.

Si quis in morbum incidiſſet, imperabatur ei domo abire, & valetudinarium in hos uſus exſtructum ingredi: illis vero, qui in eadem domo ſani videbantur, cum fieri poſſet, omnes veſtes ſuas noctu exuere, aliaſque ſibi paratas induere, & deinde, veſtimentis, quae exuerant, prius igne conſumptis, in domicilio praeſtituto quadrageſimam agere. Veſtes mutari praecipiebantur, &, quae exutae fuerant, comburi, quoties neceſſarium eſſe apparebat: ita nimirum hoc fiebat, quum aliqui, poſtquam convaluiſſent, ex valetudinario egreſſi, ad quadrageſimalem ſtationem tranſirent; item cum morbo jam penitus extincto, nutrices, veſpillones, & chirurgi ad eandem ſtationem ſe conferrent.

Tenuia aeſtate tuguriola extruebantur, quibus plebs, locis infectis abire juſſa, recipi poſſet; quae poſtea, cum non amplius ex uſu eſſent, comburi ſolebant.

Domus infecta, familia egreſſa, clavis ſtatim impactis occludebatur; excubiae etiam conſtituebantur, ne quid clandeſtino furto ſubduceretur. Rure ſi domus eſſet vilioris pretii, modo ſine periculo fieri poſſet, incendebatur, damno ex publico aere poſſeſſori reſarcito. In oppidis vero, ubi periculoſum fuiſſet hujuſmodi incendium, mercede conducebant, qui domos ingreſſi, in aream, aut ante fores efferrent, quicquid ad contagionem accipiendam aptum erat, atque id omne ibidem in ignem conjicerent. Ne autem vicinis inde pavor incuteretur,

res

res iſtiuſmodi, in carros cadaveribus evehendis deſtinatos nonnunquam impoſitae, extra oppidum incendebantur. Principio quidem mos fuit in terram eas alte defodere; donec ſaepius compertum fuerat, contagionem inde novas vires acquirere, quod rurſus effoderentur. Antequam domeſtica damna, ex incendiis contracta, rependerentur, haud raro deprehenſi fuerunt, qui partem ſupellectilis occultarent, qua contagio diſpergebatur. Ex quo autem juſtum pretium publico ſumptu accipere coeperunt, nihil celantes, omnia flammis libenter permiſerunt.

Aestate pecora in agris pernoctabant, quae curae incolarum committebantur, quorum aedes peſtis non invaſerat. Hyeme ſani tenebantur, priuſquam ex domo

infecta decederent, omnia pecora, quae ad illam pertinebant, necare, ac deinde haud procul ab ea, decem pedes alta, humo condere: hyberno enim tempore pecora in aedes ad ſe recipere ſolent.

PARS PRIOR.

De Peſte generatim.

CAPUT I.

De Peſtis Origine & Natura.

CUM noſtrum ſit conſilium in hoc tractatu eas rationes proponere, quibus potiſſimum impendens nobis a peſte periculum averti poſſe videatur; & in hunc finem peſtiferae contagionis naturam ſcrutari, quatenus praeceptorum,

torum, quae tradentur, ratio id exigat: priuſquam aliquid ſigillatim praeſcribam, quae ſint cauſae unde peſtis oriatur, & quibus modis contagio illius diſſeminetur, paucis inquiram.

Antiquissimis temporibus peſtes, ſicut alii complures morbi, ad vindicanda generis humani ſcelera divinitus immitti credebantur; hinc nullum aliud remedium, praeter ſacra & luſtrationes ad iratum numen placandum, quaerebatur *.

Quicquid autem in opinionis hujus defenſionem dici poſſit, cum ſacra hiſtoria nos doceat, peſtes nonnunquam ad divinam ultionem exequendam miſſas fuiſſe; certum

* Celſus, De medic. in praefat. *Morbos tum ad iram deorum immortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam.*

eſt

eſt tamen eam, cum fines juſtos exceſſerit, peſſimos habuiſſe effectus. Terror enim iſte & amentia, quae hominum animos hinc occuparunt, diriſſimis gentium ſuperſtitionibus occaſionem praebuere, & ad immanem illam humanorum ſacrificiorum crudelitatem generatim impulerunt; ut ex innumeris fere veterum ſcriptorum locis facile oſtendi poſſet*.

Praete-

* De Gallis teſtem locupletiſſimum, Caeſarem habemus. *Natio*, inquit, *eſt omnis Gallorum admodum dedita religionibus; atque ob eam cauſam qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in praeliis periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur: quod pro vita hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe aliter deorum immortalium numen placari arbitrantur. Publiceque ejuſdem generis habent inſtituta ſacrificia.* B.G. lib. 6. Maſſilienſes ſpeciatim ad peſtem avertendam hac nefaria conſuetudine uſos fuiſſe ex Petronio Servius nos docet; in quem finem, ut ait, unus ex pauperibus ſe offerebat, anno prius publice alendus. Ad Aen. III. ℣. 57. De Athenienſibus ſcholiaſtes

Praeterea in cauſas naturales inquirendi conamina impediebat, atque indu-

---

ſtes in Ariſtophanem idem tradit, quod factum dicit tempore λοιμοῦ, ἢ τοιούτου τινός. In Equit. ℣. 1133. Et in Plut. ℣. 454. moris ejuſdem mentionem faciens, adhibitum fuiſſe ait ratione λοιμοῦ τινος, ἤ τινος ἑτέρας νόσου. In hoc poſteriori loco poeta miſellos iſtos homunciones, qui pecudum ritu ita mactabantur, καθάρματα appellat. Ut obiter igitur illud notem, probabile videtur S. Paulum ad impiam hanc conſuetudinem reſpexiſſe, 1 Corinth. iv. 13. qui de ſe numero plurali loquens, ait: Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. Ubi vett. quidam MSS. pro ὡς περικαθάρματα, legunt ὥσπερ, ὡσπερὶ, vel ὡσπερεὶ καθάρματα. Sed haec ſententia minime infirmabitur, ſi vulgaris lectio retineatur, cum ſeptuaginta interpretes vocem περικάθαρμα eodem ſenſu uſurpare videntur, Prov. xxi. 18. ita vertentes: Περικάθαρμα δὲ δικαίου ἄνομος. Praeterea ex voce περίψημα, quam ſubjicit apoſtolus, hoc ulterius corroboratur. Nam eadem prorſus ſignificatione explicat Heſychius: Περίψημα, περικατάμαγμα, ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα. Item Suidas, ad conſuetudinem, de qua agimus, reſpiciens, ſcribit, cum homo in mare projiceretur, veluti Neptuno ſacrificatus, carmen illud adjectum fuiſſe: Περίψημα ἡμῶν γενοῦ. Juſtinus, ſacrilegio hoc potius, quam ſacro,

inducebat homines ſegniter iis malis ſuccumbere, quibus optimus & ſapientiſſimus naturae conditor idonea plerumque providit remedia.

ſacro, Carthaginienſes uſos fuiſſe narrans, etiam liberos ſuos immolaſſe obſervat, quam diram immanitatem eleganter inſectatur. Verba illius ſunt: *Cum inter caetera mala etiam peſte laborarent, cruenta ſacrorum religione, & ſcelere pro remedio uſi ſunt. Quippe homines ut victimas immolabant, & impuberes (quae aetas etiam hoſtium miſericordiam provocat) aris admovebant, pacem deorum ſanguine eorum expoſcentes, pro quorum vita dii rogari maxime ſolent.* Lib. xviii. c. 6. Atque hinc etiam illud Ennii, ex Annal. 1.

Poeni ſont ſolitei ſos ſacrificare puellos:

licet alii aliter hunc verſum legunt. Imo in tam dementem temeritatem apud gentes nonnullas haec nefanda ſuperſtitio homines praecipitavit, ut etiam reges eorum vitam profundere, quo ab hujuſmodi calamitatibus cives liberarent, non recuſaverint. Ita Clem. Rom. Πολλοὶ βασιλεῖς καὶ ἡγούμενοι, λοιμικοῦ τινος ἐνστάντος καιροῦ, χρησμοδοτηθέντες, παρέδωκαν ἑαυτοὺς εἰς θάνατον, ἵνα ῥύσωνται διὰ τοῦ ἑαυτῶν αἵματος τοὺς πολίτας. Epiſt. 1. ad Corinth. §. 55. Ne plures autem commemoremus, Porphyrius, Lib. 2. de abſtin. anim. apud Phoenices hunc morem in uſu fuiſſe ſcribit.

G SEQUEN-

Sequentibus igitur ſeculis, ubi medicinae ſcientia pars ſapientiae haberi coepit, Hippocrates opinioni eorum acriter repugnavit, qui ſtatuerunt, *Peculiares quoſdam morbos eſſe divinos, vel a diis immiſſos:* aſſerens, *Non alium alio magis, ſed omnes morbos a diis procedere; qui tamen ſinguli ex cauſis ſuis naturalibus ortum haberent: ſolem, frigus, ac ventos eſſe divina, quorum commutationes, ac vires in humana corpora diligenter a medico obſervari oportebat* †.

Hoc generale effatum magnus ille medicinae magiſter non minus de peſtibus, quam de aliis morbis intelligi voluit: quam recte autem

---

† Lib. de morbo ſacro; *&* Lib. de aere, locis, & aquis.

ita

ita ſtatuit, aliquatenus apparebit, cum ad cauſas morbi hujuſce exquirendas pervenerimus.

Priusquam autem id facere incipimus, falſam opinionem a nonnullis receptam tollere conveniet; qua peſtis in nulla alia re, praeter majorem ejus vehementiam, a febre communi differre cenſetur. Sed perſpicuum eſt, uti variolae & morbilli, propter ſigna quaedam ipſis peculiaria, ſpecies eſſe morborum a caeteris omnibus diverſae agnoſcuntur; ſic, pari ratione peſtem non minus genere diſtingui a pervulgatis febribus, concedi oportere: ſunt enim certa quaedam ſigna peſti tam neceſſario connexa, quam variolis, aut morbillis ſuae eruptiones.

Ut variolae virus ſuum in cutem per puſtulas emittunt; ita in peſte humor noxius vel in glandulas per tumores, ſcil. parotidem, bubonem, alioſque; vel in quamlibet corporis partem per carbunculos ejicitur. Atque hae quidem eruptiones adeo certa ſunt morbi hujus indicia, ut aliqua ex iis nunquam abſit; niſi aut ſumma malignitate morbi, aut corporis infirmitate aeger ſuccumbit, priuſquam ulla eruptio fieri poſſit; atque ita ſanies, quae alioquin in externos tumores ejecta fuiſſet, occupat viſcera, & gangraenas in illis parit.

Hoc ſane pacto nonnunquam evenit, ut hi tumores in glandulis, carbunculique non compareant: ſicut malum genus variolarum, in tenera corporis habitudine, ante eruptionem, per diarrhoeam, haemorrhagiam,

morrhagiam, aut alium hujuſmodi praevalidae malignitatis effectum, exitus aliquando fatales habet.

Observatum eſt a Gallicis medicis, qui aegros Maſſilienſes in quinque claſſes, pro diverſis morbi gradibus, diſtribuerunt, glandularum tumores & carbunculos in omnibus erupiſſe; iis tantum claſſis primae exceptis, qui adeo terribili modo corripiebantur, ut paucis horis, aut, ad ſummum, intra diem, biduumve mortem oppeterent, oppreſſioni, anxietudini, viriumque defectioni ſuccumbentes, in quae primus morbi impetus eos conjecerat, viſceribus ſtatim gangraena corruptis, ut ex corporum diſſectione conſtitit *.

* Obſervat. & reflex. touchant la nature, &c. de la peſte de Marſeille, pag. 47. & ſuiv.

Atque ex hac obſervatione, cui conveniunt, quae ab auctoribus aliis in prioribus peſtibus fuerunt animadverſa, liquet tantum abeſſe, ut harum eruptionum ſola cauſa ſit intenſior hujus morbi, quam caeterarum febrium, violentia, ut tum ſolummodo abſint, cum maxime ſaeviat morbus; alias vero ſemper illum comitentur, etiam cum adeo leniter acceſſerit, ut aegro primam contagionis notitiam dederit exoriens hujuſmodi tumor; ſicut non modo Gallici iſti medici, ſed alii quoque optimae fidei ſcriptores affirmarunt. Unde haud dubitanter concludamus, has eruptiones non minus peculiare eſſe hujus morbi indicium; quam eae ſunt variolarum & morbillorum, quibus cognoſci ac diſtingui ſolent.

Atque hinc ſpeciatim apparet diſcrimen inter veram peſtem & illas malignitatis inuſitatae febres, quae eam ſolent praecurrere, caelique temperiei iſtius inſalubris naturales ſunt effectus, quam omnes peſtes comitari poſtea probabimus. Etenim cum omnes iſtae febres, ex quibus homines ſine ullis per tumores in glandulis, aut carbunculos, eruptionibus convaleſcunt, ſignis careant peculiaribus, quae leviſſimas verae peſtis acceſſiones comitantur; nulla juſta videtur cauſa, cur minorem eas duntaxat morbi illius gradum eſſe certo credamus: quantum autem apparet, natura differunt; haud fere contagioſae ſunt, ut peſtis; nec ita neceſſario cum ea connectuntur, quin febres iſtiuſmodi nonnunquam adveniunt, cum vera peſtis illas non ſequitur.

Ex

Ex contrario autem, nollem ita intelligi, ac ſi febrem quamcunque, in qua eruptiones iis, quae jam dictae ſunt, ſimiles conſpiciuntur, peſtem appellarem. Sicut enim quodvis ulcus, aut puſtula in cute prorumpens, variolarum non eſt indicium, nec omnis inguinum tumor venereus eſt bubo; ita carbunculi quidam ſunt non peſtilentes, & aliae febres praeter peſtem, quarum criſis per tumores & abſceſſus, idque aliquando in parotide, aut aliis glandulis, perficitur. Diſcrimen quidem nonnullum inter peſtis, aliarumque febrium, tumores plerumque reperiri ſolet, temporis praeſertim prodeundi ratione; in peſte enim citius, quam alias uſquam fere, ſe oſtendunt. Et profecto ſubtiles hujuſmodi differentiae, quae plerumque minus peritorum obſervationem effugiunt, haud raro ſolae ſunt rationes,

tiones, quibus morbi, a longe diverſis cauſis exorti, diſtingui poſſint. Nam ut primarum cauſarum natura, unde procreantur, nobis penitus eſt ignota; ita quando cauſae iſtae ſint diverſae, nulla alia dignoſcendi ratio, niſi ex effectuum differentia, nobis relinquitur. Sed cum omnes humani corporis morbi materiae fabricam, iiſdem ſtatutis legibus ſubjectam atque gubernatam, perturbent; haud mirum eſt effectus, qui a cauſis diverſis profluant, perſimiles ſaepe inveniri. Morbos igitur hic accurate diſcernere ſummam medici artem ac peritiam requirit. Ut hoc autem fiat, numerum, gradus, tempus, & ordinem variorum ſignorum, quae in morbi ejuſdem progreſſu ſe oſtendunt, diligenter obſervari oportet. Sed morbos diſtinguendi difficultas tanta nonnunquam iis, qui ſtudioſiſſime ad haec omnia attenderunt, inventa fuit,

ut etiam poſt ſummam curam fuerint decepti; ſeu temporis anguſtiae ad obſervationes perficiendas, ſeu inuſitatus corporis habitus, ſeu enormia denique ſigna, ex minus idonea tractatione oborta, hoc effecerint. Quo autem generatim de morbi natura certi aliquid ſtatuatur, ex iis, quae uſitate occurrunt, judicium fieri debet. Et peſtis profecto haud minus ſignis, quae vulgo eam comitari ſolent, diſtingui ac definiri videtur, quam multi ex morbis iſtis, quos a diverſis cauſis oriri omnes exiſtimant. Praeterea peſtem, tum origo ejus, ex una tantum orbis terrarum parte proveniens, tum etiam teterrima contagio nobilitavit. Quae duo illius attributa jam demonſtrare ſuſcipiam.

Contagio peſtis ab antiquiſſimis temporibus obſervata fuit. Thucydides

cydides in peſtis Athenienſis deſcriptione* memorat; & Lucretius, qui

---

* Lib. 2. Ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου, θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον· καὶ τὸν πλεῖϛον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει· εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἔρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσαντος· εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο, καὶ μάλιϛα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι. Etſi loci hujus principium ita in omnibus Thucydidis editionibus legatur, ut hic dedimus, vitio tamen laborare certum eſt; voces enim θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι abſurde connectuntur. Ex clauſula autem Ariſtotelis, quam mox proferam, conjectari licet, hoc vitium levi negotio emendari poſſe, ſi modo comma, quod vocem ἑτέρου ſequitur, ex eo loco ſublatum, vocabulo θεραπείας ſubſtituatur: nam verbum προσαναπίμπλημι apud Ariſtotelem, ſenſu abſoluto, ſignificat *inficere*. Sin autem haec vitium tollendi ratio minus ſufficere videatur, locutio quaedam Plutarchi in vita Periclis ſuppetias feret, ubi eandem hanc peſtem, atque Thucydides, deſcribit. Verba ſunt: Ἀλλ' ἐῶν, ὥσπερ βοσκήματα καθειργμένους, ἀναπίμπλασθαι φθορᾶς ἀπ' ἀλλήλων. Hinc igitur aut θεραπείας mutare in φθορᾶς, aut utramque potius vocem retinere inducamur; cum facile eſſet ſcribae ob literarum in altera voce ſimilitudinem φθορᾶς

qui eam deſcriptionem fere tranſtulit, haud ſemel tangit *. Ariſto-

---

omiſiſſe. Si res ita fuerit, tota ſententia hoc modo erit legenda: Ὅτι ἕτερος ἀφ’ ἑτέρου θεραπείας, φθορᾶς ἀναπιμπλάμενοι, &c. Ex alterutra emendatione ſenſus verborum ſic ſe habebit: *Dum alius alii miniſtrabat, contagionem contrahentes, ſicut ovium greges, interibant. Atque haec contagioſa vis morbi tantae ſtragis cauſa praecipua fuit: nam aut aegri amicorum, illos adire metuentium, ope deſtituebantur; quo factum eſt ut multae familiae, auxilii expertes, perirent: aut eos, qui opem ferrent, inficiebant; & illos praeſertim, quos generoſae virtutis ratio ad officium praeſtandum maxime incitaret.*

Senſus, qui verbo ἀναπίμπλημι hic tribuitur, ex loco quodam Livii magis adhuc confirmari poteſt, ubi contagionem peſtis, vel febris caſtrenſis, quae & Carthaginienſium & Romanorum exercitus in Syracuſarum obſidione infeſtavit, verbis ejuſmodi deſcribit, quae plane oſtendunt eum ad hanc Thucydidis narrationem reſpexiſſe. Ait enim: *Aut neglecti deſertique, qui incidiſſent, morerentur; aut aſſidentes curanteiſque eadem vi morbi repletos ſecum traherent.* Lib. 25. c. 26.

* L. 6. ℣. 1234.

—— *Nullo ceſſabant tempore apiſci*
Ex aliis alios avidi contagia morbi.

Et ℣. 1241.

Qui fuerant autem praeſto, contagibus ibant.

teles

teles inter problemata * ſua ponit: Quo modo peſtis eos inficiat, qui ad aegros accedunt. Et, quod majoris eſt momenti, ipſe Galenus idem plane declarat. † Ita enim ſcribit: *Ὅτι συνδιατρίβειν τοῖς λοιμώττουσιν ἐπισφαλὲς, ἀπολαῦσαι γὰρ κίνδυνος, ὥσπερ ψώρας τινὸς*, &c. *Quod inter peſte laborantes verſari haud tutum ſit; quoniam periculum eſt, ne morbus contrahatur, ut in ſcabie*, &c. Res ſane adeo manifeſta eſt, ut de ea omnes mortales una mente jam conſentiant; ſi perpaucos tantum excipiamus, qui contrariam opinionem vindicando ab aliis ſe diſtinguere voluerint. Et mirum profecto videtur, rem ita perſpicuam omnino in dubium vo-

* Sect. I. Διὰ τί ποτε ὁ λοιμὸς μόνη τῶν νόσων μάλιστα τοὺς πλησιάζοντας τοῖς θεραπευομένοις προσαναπίμπλησι;

† Περὶ διαφορᾶς πυρετῶν, βιβ. ά.

cari;

cari; quae vel ex eo ſatis comprobatur, quod huic morbo proprium eſt, ut quandocunque in domo aliqua unum arripuerit, in maximam familiae partem cito invadat. Quod cum in peſte ſemper evenire notiſſimum eſt, nemo, opinor, qui paulo attentius id conſideraverit, aut amplius dubitare poſſit, aut fortius argumentum requirere, quo morbum hunc contagioſum eſſe convincatur. Hac ratione variolae morbillique vulgo perhibentur contagioſa; quia in quamcunque domum alteruter ex his morbis penetraverit, maximam eorum partem in familia, qui nunquam antea eo eſſent affecti, corripere obſervatur; ſaltem ſi libere cum aegris verſentur. Eodem igitur argumento peſtem quoque contagioſam eſſe concludere oportet. Fruſtra quis contendat, in peſte hoc eo duntaxat fieri, quod ſani, aëris vitiati, aut quaecunque ſit

ſit morbi communis cauſa, injuriae accipiendae magis, quam alias fere, obnoxii redduntur; dum ex aegrorum, in eadem familia, conſpectu territi animum deſpondeant: nam ſi ita eſſet, infantes, qui ob teneram aetatem nihil hinc periculi ſentire poſſunt, melius quam alii evaderent; cujus contrarium experientia ſemper verum eſſe demonſtravit.

Verum eſt nonnullos, qui aſſiduam aegris operam dederint, morbum effugiſſe. Sed hoc nequaquam infirmat, quod hic aſſeritur: etenim non minus facile intelligitur, quemadmodum homines quidam bonae corporis habitudinis beneficio contagioni obſiſtere poſſint; quam ut noxium aërem ſine noxa conſtanter ducant. Quod ſcribit Diemerbroekius, huic loco convenire videtur: nempe familiae cujuſdam

juſdam partem ad oppidum peſte liberum demigraſſe; quae, ut ipſe obſervavit, eo morbo paulo poſt correpta fuit, quam pars altera, in oppido infecto relicta, aegrotaverat: quod ſane vix potuit evenire, niſi commercium inter ſanos & aegrotos per literas, aut alia quadam ratione, id efficere valuiſſet *. Eodem ſpectat, quod Euagrius in peſte a ſe deſcripta memorat, & quo fatetur ſe non mediocriter eſſe perculſum: ſcil. multos eorum, qui locis infectis ſe ſubduxerant, in ipſis, ad quae confugerant, oppidis peſte fuiſſe correptos, dum veteres illorum oppidorum incolae in eam non incidebant †. Sed res adeo manifeſta magna exemplorum copia non indiget, quae praeſto ſunt innumera; & nonnulla, prout occaſio ſe dabit, infra proferentur,

* De peſt. c. 4. annot. 6.
† Euagrii Hiſtor. eccleſ. l. 4. c. 29.

cum

cum de rationibus ſpeciatim dicere veniamus, quibus haec lues circumfertur. Illud tantum igitur hoc loco adjiciam: quod omnia morbi hujus indicia ex hac ſententia facillime explicentur, quae ex quavis alia vix explanari poſſunt. Hinc ſcimus, cur peſtis, ubi primum locum quempiam invadit, licet aegri ſint pauciſſimi, plerumque tamen violentiſſime in eos ſaeviat, peſſimiſque ſignis aggravetur. Jam ſi morbum pareret non importata contagio, ſed alia quaedam cauſa in loco infecto orta, ideoque gradatim generata, contrarium neceſſario eveniret: aegri non modo in initio pauciores forent, ſed etiam levius afficerentur, quam poſtea, cum morbi cauſis acceſſerit maxima malignitas. Hinc etiam diſcimus, qui factum fuit, ut infectae urbis incolae, occludendo ſe ab omni cum

illis commercio, a quibus morbum ſe contracturos ſuſpicabantur, incolumes ſaepe manſerint. Cum peſtis, quae Angliam ultima invaſit, Cantabrigiam perveniebat, collegia hac prorſus erant intacta. Sic Romae, annis 1656 & 1657, dum peſtis graſſabatur, monaſteria utriuſque ſexus eodem modo ſe plerumque tuebantur *: at Neapoli, quam peſtis paulo antea tentaverat, coenobia, hoc conſilio neglecto, haud pari felicitate evaſerunt †. Imo ne ullos quidem ex carceribus Romae contagio intravit ‡; quorum ſqualor alioquin morbo eos valde reddit obnoxios. At ne ſim longus, unum ſolummodo exemplum amplius adjiciam. Nulla alia, opinor, veri-

* Gaſtaldi de avertenda & profliganda peſte, p. 117.

† Ibid. p. 118.

‡ Ibid. p. 117.

ſimilis

ſimilis ratio afferri poteſt, quare peſtis poſtrema Londinenſis, quae ſub finem anni 1664 in paroecia S. Aegidii in campis incepit, a natalibus Dominicis ad medium Februarium conſopita, rurſus in eadem paroecia proruperit; & deinde poſt aliam ad Aprilem uſque intermiſſionem, in eodem loco ſe iterum oſtenderit *.

Porro quicunque hiſtorias de peſtibus omnium aetatum excuſſerit, ſi modo paulo accuratius fuerint deſcriptae, pauciſſimas inveniet, quae in propriis iſtis ſignis non conveniunt, quibus peſtis ab aliis febribus diſtinguatur. Unum alterumve exemplum inveniri poſſe, quibus contrarium appareat, confiteor; &

* *Vid.* Bills of mortality for the year 1665.

forſan patriae noſtrae hiſtoria inſigniſſimum praebeat*. Sed exempla hujuſmodi ſunt adeo perrara, ut nihilominus concludi oportere exiſtimem, peſtem plerumque unum eſſe eundemque morbum.

Ostendere proxime conabor, peſtem ſemper eandem habuiſſe originem, & ab Africa advectam fuiſſe, quae duos etiam alios morbos contagioſos, variolas & morbillos, nobis addixit. In omnibus quidem regionibus epidemici morbi extra modum lethales, in carceribus, obſidionibus, caſtris, aliiſque id genus locis, ſaepe naſcuntur, quos auctores generali nomine peſtilentes vocarunt: ſed veram peſtem, quam peculiaria ſua indicia, jam antea deſcripta, comitantur, & quae ab alia

* The ſweating ſickneſs.

in aliam regionem diſpergitur, non aliam opinor eſſe, quam febrim Africanam, in Aethiopia, aut Aegypto procreatam, cujus contagio in alias orbis terrarum partes per commercia traducitur.

OBSERVAVIT Plinius, *Peſtilentiam a meridianis partibus ad occaſum ſolis* (quo genere loquendi Europam intelligit) *ſemper ire* *. Et qui accuratiſſime de hoc morbo diverſis aetatibus ſcripſerunt, ubicunque graſſata fuit, ab Africa ducunt. Thucydides, in deſcriptione famoſae iſtius peſtis Athenienſis ante laudata †, in Aethiopia ſuperiori ortum habuiſſe dicit, hinc in Aegyptum veniſſe, deinde primo in Perſiam, poſtea vero in Graeciam peragraſſe.

* Nat. hiſt. l. 7. c. 50.
† Pag. 51.

PESTIS

Pestis omnium maxime horrenda, quas vetus hiſtoria memorat, ea fuit, quae, Juſtiniano imperante, A. D. 543 Conſtantinopoli erupit. Contagionem per totum terrarum orbem effudiſſe dicitur, ac per duos & quinquaginta annos permanſiſſe. Hiſtoria illius ab Euagrio * bene narratur, ſed magis erudite a Procopio †; quorum uterque ex Aethiopia aut Aegypto originem traxiſſe obſervat.

Congruit etiam hoc peregrinantium & mercatorum narrationibus, qui a locis Turcorum imperio ſubjectis hiſce temporibus adveniunt; quorum omnes plerique nos docent, crebras peſtes, quae regiones iſtas populantur, ab ora Africana illuc tra-

* Eccleſiaſt. hiſtor. l. 4. c. 29.
† De bello Perſico, l. 2. c. 22.

duci

duci; adeo ut Smyrnae, aliiſque littoris ejuſdem portubus, navem, qua affertur, ſaepe cognoſcant. Et hiſce poſterioribus ſeculis, quibus commercium nobis in Turcicis regionibus frequentius fuit, peſtes illinc in has partes Europae advectas fuiſſe plane apparet.

Pestem, quae nunc in Gallia graſſatur, ex Turcia veniſſe manifeſto conſtat, ut poſtea ſpeciatim oſtendam. Item peſtis, quae duodecim abhinc annis Dantiſci erupit, & inde Hamburgum, Hafniam, aliaſque ſeptentrionem verſus urbes infeſtavit, a Conſtantinopoli, per Poloniam, & locos finitimos, illuc viam ſibi aperuit. Noviſſima etiam peſtis, quae hanc urbem invaſit, ſi Hodges noſtro fides habeatur *,

* *Vid.* Hodges de peſte.

eandem

eandem habuit originem; utpote quae huc devenit ex Hollandia, quo a Turcicis regionibus in goſſypio apportata fuerat.

Dirissima mortalium ſtrages, quam per aetates aliquot proxime elapſas ſenſerant, circa medium decimi & quarti ſeculi incidit, quando peſtis intra quinquennium maximam orbis terrarum partem pervaſit*. Anno 1346 Aegyptum, Turciam, Graeciam, Syriam, atque Indiam orientalem infeſtavit: anno 1347 ab orientali parte maris Mediterranei, quam dicimus *Levant*, navigiis quibuſdam in Siciliam, Piſas, Genuam, & alibi tranſportata eſt: anno 1348 Sabaudiam, Provinciam, Delphinatum, Cataloniam, & Caſtiliam, cum aliis locis, intravit: anno

* *Vid.* Iſtorie di Matteo Villani, l. 1. c. 2.

1349 occupavit Angliam, Scotiam, Hiberniam, & Belgium: ſequenti anno Germaniam, Pannoniam, & Daniam. In quoſcunque autem locos pervenit, cladem intulit adeo funeſtam, ut orbem terrae plus dimidia parte incolarum privaſſe dicatur *. At enim cum Africa hanc peſtem ab initio participavit, nullus dubito, quin originem illic habuerit, & non apud Sinas, uti Villani in hiſtoria ſua illorum temporum tradidit †, nautarum quorundam Genuenſium fidem ſecutus, qui a locis iſtis redeuntes, ab ingenti pila ignea, quae aut ex terrae erupit penetralibus, aut caelitus decidit, ortam illic ferebant. Narrationi autem tam incredibili minime, ut opinor, confidere oportet,

* Mezeray, Hiſt. de France, tom. 1. p. 798.
† Loco jam citato.

cum nullum aliud peſtis, in illis primum regionibus exortae, certum nobis ſuppetat exemplum.

Illud maxime notatu dignum eſt, ſingulas Europae regiones hoc malo ſemper eo magis aut minus fuiſſe affectas, prout ſibi plus minuſve commercii fuit in Africa, vel cum iis populis orientalibus, qui mercaturam exercendi cauſa illuc commeaverant. Cujus rei inſigne nobis exemplum praebet Peloponneſus, quae iis temporibus, quibus Venetis ſubjicitur, haud ſaepius peſte infeſtatur, quam aliae Europae regiones; quoties autem in Turcorum poteſtatem devenit, haud diu manet ab iſta calamitate immunis. Atque hinc, ut obiter id tangamus, dubium illud quadantenus ſolvi poſſit, cur olim magis, quam nunc, populorum borealium numerus increverit: aetatibus enim antiquis peſtibus

bus caruerunt, quibus imminuti ſunt, ex quo cum Africanis commercia inſtituerint.

Huic de mercaturis obſervationi congruit, quod in hiſtoria ſua, loco jam dicto, notat Procopius, peſtem ſcribens a locis maritimis ad regiones longius a mari diſſitas ſemper propagari ſolitam: quod ex eo tempore experientia ſemper confirmatum fuit.

Cum peſtem morbi genus eſſe diſtinctum, & ex Africa ſolum provenire, hactenus probatum fuit; cauſa illius in ea regione, & nuſquam alibi, proxime quaerenda eſt. Quid igitur ſit illi regioni proprium, quod morbo huic procreando aptum eſſe credatur, conſiderare oportet. De ſtatu igitur Aegyptiacae urbis Alcairi, atque Aethiopiae, quatenus ad rem noſtram

ſpectare videtur, paucis tractabo; quae duo ſunt magna peſtis ſeminaria: haec enim loca magis ea infeſtari, quam alias pleraſque Africae partes, tradunt peregrinatores.

Alcairus ingentibus incolarum turbis, qui vitam plerique valde inopem ſordidamque agunt, frequentatur. Vici illius anguſtiſſimi ſunt & coarctati. In arenoſa planitie ſita eſt, ad montis radices, quo venti, qui alioquin aërem refrigerarent, arcentur; unde aeſtus fervidiores fiunt. Magno interluitur alveo, qui, Nilo exundante, aqua impletur; receſſu autem fluvii paulatim areſcit. In hunc alveum cives colluviem, morticina, ſordeſque omnigenas conjiciunt, ex quibus, coenoque ſimul admixto, foetor exoritur *. Hinc miſeros inco-

* *Vid.* Le Brun, Voyage au Levant, c. 38.

las

las peſtis quotannis depaſcitur; nec prius remittit, quam Nilus congeſtam hanc colluviei molem ſuperfuſus abluerit, & algentes aurae, tunc temporis aſpirare ſolitae, flatibus ſuis aëra purgaverint.

In Aethiopia prodigioſa illa locuſtarum examina, quae, niſi forſan a ventis in aequor converrantur, famem aliquando fruges comedendo pariunt, aliam quoque, peſtilentiae nimirum, calamitatem regioni afferunt, dum mortuae jacentes computreſcunt*; viribus putredini accreſcentibus per immodicam caeli intemperiem, quae tanta eſt in hac regione, ut una anni tempeſtate tres quatuorve menſes perpetuos imbres violenti depluant†. Pecu-

---

* *Vid.* Ludolf. Hiſtor. Aethiop. lib. 1. c. 13. & D. Auguſt. De civitat. Dei, lib. 3. c. ult.

† *Vid.* Ludolf. Hiſtor. Aethiop. lib. 1. c. 5. & Comment.

liariter

liariter igitur de hac terra obſervatur, quod invadat eam plerumque peſtis, quando imbres per fervidos Julii & Auguſti menſes decidunt *.

Jam ſi haec, quae de caeli intemperie Alcairi & in Aethiopia diximus, cum Arabum medicorum ſcriptis †, qui haud procul ab iſtis regionibus habitarunt, conferamus, quibus peſtes ab intempeſtivis humoribus, aeſtibus, & ventorum abſentia afferri declarant; morbi hujuſce cauſam conſuetam, opinor, cognoſcemus, quatenus ex imperfecta noſtra in cauſis rerum intelligentia percipi poſſit. Quem ſane, ex omnibus his rationibus una collatis, a putredine in terris iſtis adeo conſtanter generata, cum aeris vitiis jam memoratis adaugetur, ac praeſertim ab anima-

* J. Leo, Hiſt. Afric. lib. I.
† Rhaſ. & Avicen.

libus

libus putrefactis, originem ducere exiſtimo.

Animalium corpora in materiam morbo huic gignendo aptam converti poſſe, ex eo perſpicuum eſt; quod humores cujuſque, qui eo laborat, in naturam ad alios inficiendos idoneam corrumpuntur. Nec improbabile videtur, volatiles particulas, quibus abundant animalia, in vehementioribus Africae caloribus, quando aer vitiatur, putrefactas, in ejuſdem generis materiam immutari; cum in his frigidioribus terris majorem aliis pleriſque rebus acrimoniam illas putreſcendo capere, & majori cum periculo in propius accedentes agere, nonnunquam percipimus; ut accidit in pernicioſis illis & virulentis ſuccis, qui corruptis cadaveribus aliquando ingenerantur: cujus rei pridem luculentiſſimum dedi exemplum;

emplum *; & multa alia, ſi opus foret, praecipue vero in corporibus hydropicis, & cancrorum ulceribus, proferri poſſent. Praeterea in his borealibus plagis morbos admodum exitiales ex animali putredine aliquando produci invenimus, tametſi ad verae peſtis malignitatem non perveniant: etenim ubi magnus hominum numerus arctius concluditur, ut in carceribus, obſidionibus, & caſtris, febres perniciosiſſimae non raro generantur.

Et haud ab re forſan erit hic obſervare, veteres Aegyptios tam bene intellexiſſe, quantum ad peſtem procreandum cadaverum putror valeret, ut ibin volucrem coluerint, ob beneficium, quod vim magnam ſerpentium devorando in ipſos con-

* Mechanical account of poiſons, p. 178.

ferebat;

ferebat; quas tam odore mortuas, quam morſu vivas nocere ſenſerunt *.

SED nullum corruptionis genus unquam in his Europaeis regionibus eo uſque adaugetur, ut veram peſtem producere queat: & Arabes medici nos docuerunt, in calidiſſimis regionibus aëris vitium neceſſarium eſſe, quo aut dictorum corporum putredo adeo ſubtilis reddatur; aut ſaltem effluvia eorum, quae, dum putreſcunt, exhalantur, humana corpora laedendi facultatem acquirant. Uterque autem effectus a malignis aëris qualitatibus ſupra de-

* Cicero, De nat. Deor. lib. I. §. 36. de avibus his loquens, ait: *Avertunt peſtem ab Aegypto, cum volucres angues, ex vaſtitate Libyae vento Africo invectas, interficiunt atque conſumunt; ex quo fit ut illae nec morſu vivae noceant, nec odore mortuae.*

ſcriptis prorſus expectari poteſt, quoties diutius permaneant, vireſque conjunctas exerant.

Quod hic de origine peſtis diſſerui, mihi adeo conſentaneum rationi videtur, ut non poſſim ſatis mirari nonnullos, qui, cauſis adeo manifeſtis omiſſis, ad occultas quaſdam decurrant qualitates; utpote vim maleficam e caelo dimiſſam, arſenici, bituminis, aut aliorum foſſilium effluvia, cum aliis hujuſmodi commentitiis, aut incertis agendi cauſis.

Veruntamen haec non eo dicuntur, quo omni aëris intempeſtati, immodico aeſtu & humore, quos ſupra memoravimus, magis occultae, partes ſuas in peſtis contagione augenda atque promovenda, cum ſemel generata eſt, prorſus abjudicem; rem enim nonnunquam ita ſe

ſe habere ut credam, potius adducor: ſicut in variolis, alio contagioſo morbo, inter nos evenit, qui manifeſtis illis aëris qualitatibus, jam deſcriptis, ſpargitur plerumque & propagatur; quem tamen novimus aliquando in contraria aëris conſtitutione, nimirum dum hyems arida ſit ac gelida, vehementer ſaevire. Sed morbum generare, & generato vim dare, res ſunt prorſus diverſae. Et ſi concedatur quidem aliquam hujuſmodi occultam aëris mutationem in prima morbi productione quicquam valere; tamen in juſtam reprehenſionem iſti ſcriptores incurrunt, qui harum occultarum mutationum, quas nullam inveſtigandi rationem habemus, ipſam naturam definire prae ſe ferant: etenim neque adeo ſenſiles ſunt, ut in noſtram diſquiſitionem directe veniant; neque effectus earum in peſte procre-

anda certi aliquid de vera ipſarum natura indicant.

Illud tantummodo ſcimus, id, quo peſtis producitur, quodcunque ſit, ea natura praeditum eſſe, ut in corpus admiſſum, tantas ſanguinis & ſuccorum commutationes efficiat, quibus morbus generatur; idque partibus aliquot humorum eas corrodendi qualitates impertiendo, quae, ubicunque cadunt, ad inflammationes & gangraenas pariendum valeant. Sed non tam clare percipimus, quibus legibus ſubtiles materiei particulae in ſe invicem agant, ut vel pro certo ſtatuamus, cujuſmodi qualitates ad animales ſuccos in acres iſtos humores immutandos requirantur; vel ut rationes, quibus ſingula producuntur ſigna, quae huic morbo propria ſunt, explicemus. Magnus ille philoſophus, qui in arcanis naturae explo-

explorandis, ſummas hominum ſagaciſſimorum expectationes mire exſuperavit, non ulterius inveſtigando proceſſit, quam ut maxime probabile eſſe deprehendat, hos effectus a ſubtili & elaſtico ſpiritu pendere, qui per orbem univerſum diffunditur *; parum vero adhuc nos docuit, quo peculiari modo ſpiritus hic operetur. Dum hoc autem fiet, ad anguſtos admodum limites reſtringi neceſſe eſt, quae de his naturae operationibus cognoſcimus, iis praeſertim, quae intra corpora animalia, naturae opera prae caeteris omnibus, quantum nos ſcimus, ſubtiliter connexa & complicata, tranſiguntur. Interim ſatis eſt, cauſas, quibus peſtis originem tribuimus, obſerva-

* Newtoni Optic. qu. 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24.

tionibus

tionibus confirmari, & nequaquam eſſe improbabiles, oſtendiſſe.

CAPUT II.

De Cauſis, quae Peſtem propagant.

IN peſtis originem inveſtigando eo diligentius elaboravi, quo melius diluatur, quicquid objici poſſit contra ea, quae de cauſis dicturus ſum, quibus inter nos producitur & propagatur. Contagione autem hoc generatim efficitur: cujus qui magnam poteſtatem neſciunt, hoc eſt, quam ſubtilis ſit, & quam late morbus per eam diſſeminetur, non intelligunt, ortum illius maleficae aëris qualitati in omnibus locis, ubicunque accidat, omnino tri-

buere

buere ſolent; alii contra, naturae morbi hujus contagioſae conſideratione omnem aëris conſtitutionis rationem excludi exiſtimarunt: at vero tam contagionem, quae morbum comitatur; quam aeris qualitatem, qua promovetur contagio, aequaliter expendi oportet; utraque enim opus eſt, ut plenam vim ſuam morbus accipiat. Quapropter in hoc capite inſtitui aequa lance utramque expendere, & utriuſque effectus juſtis terminis definire.

In hunc finem cauſas, quibus peſtis propagatur, ad tres revocabo: homines ea correptos, merces ex infectis locis convectas, & corruptam aëris conſtitutionem.

Plures ſunt morbi, qui ab aegris ad ſanos tranſeunt, ſed non omnes eodem modo. Hydrophobia non aliter communicatur, niſi vitiati

animalis aegrotantis ſucci cum ſani ſanguine per morſum, vel alia ratione pariter efficaci, recta commiſceantur; ſcabies contactu ſimplici affricatur; arctiori, lues venerea; morbilli, variolae, ac peſtis vel propinquo tantum ad aegros acceſſu contrahuntur; iis igitur periculum creant, qui in eadem domo maneant, & cum aegris verſentur.

In omnibus poſtremi generis morbis contagioſis, praecipue peſtilentibus, per totum eorum ſpatium, ſed maxime cum decedunt, ſanguis magnam actuoſarum particularum quantitatem in omnes corporis glandulas perpetuo ejicit; in illas praeſertim oris & cutis, quibus ſecretiones natura magis copioſae ſunt & uberes: quae particulae, in ſani hominis corpus receptae, ad eundem morbum cum eo communicandum ſunt idoneae. Hoc autem duabus

illis

illis rationibus effici videtur: contagioſae iſtae particulae una cum aëre, quem ducimus, attractae, ſalivoſos ſuccos in tranſitu aliquando inficiant, qui in ſtomachum demerſi, vim ſuam maleficam in eo infigunt: plerumque vero ſanguinem ab iiſdem nocivis particulis, in pulmonibus ſibi admiſtis, laedi exiſtimo. Particulas aliquot aëris in reſpirando ſanguinem recipere, manifeſtum eſſe cenſeo: cui rei fidem facit, quod eadem aëris quantitas diu ad ſpirandum non ſufficiet, quamvis conſuetis, quae vulgo ei adſcribuntur, inflandi pulmones & ſanguinem agitandi qualitatibus minime deſtituatur. Hoc etiam ab eruditiſſimo Halleio ulterius confirmatur; qui, ut ex ipſo audivi, cum multis orgyiis ſub aquas, in machina demiſſus, urinaret, & aërem naturali longe ſpiſſiorem duceret, lentius ſolito ſpirare ſe invenit. Hinc

veriſimile videtur, illum praecipuum eſſe reſpirationis uſum, ut ſubtiles quaedam particulae ab aëre in ſanguinem intromittantur: etenim cùm majorem ſolito aëris quantitatem uno tempore ducendo, plures earum ſubtilium particularum ſimul in ſanguinem reciperentur, reſpiratio minus frequenter repetita ſufficiebat.

Haec una eſt cauſarum, quibus peſtis, ſemel generata, ſpargitur & augetur. Secunda, quam ſupra memoravimus, merces ſcil. ex infectis locis convectae, malum hoc multo latius diffundit. Illa ab homine ad hominem, ex domo in domum, vel forſan ex oppido in oppidum luem propaget; haec autem in regiones remotiſſimas tranſmittit. Hinc gentes iſtae Europae, quae mercandi ſtudioſae ſunt, maximum ſibi periculum impendere ſentiunt,

tiunt, cujus evitandi cauſa quadrageſimas generatim inſtituerunt. Univerſa autem haec conſuetudo gravi eſt argumento contagionem a mercibus propagari: haud enim fas eſt credere, tot nationes ſine maximis rationum momentis in hunc morem conſentire potuiſſe. Praeterea calamitatem hanc a locis infectis ad alios per varia mercium genera tranſiiſſe, indubitatis conſtat exemplis. Ut horum aliquot mentionem faciam, neceſſario poſtea adducar; in praeſentia autem duo tantum proferam. Prius erit peſtis, quae anno 1656 Romam invaſit; quam certo accepimus illuc a Neapoli veſtibus nonnullis ac pannis apportatam fuiſſe, quae primum Neptunium allata fuerant, inde vero in vicinam S. Laurentii turrim, ubi poſtquam aliquandiu remanſerant, Romam advehebantur *. Alterum exem-

* Gaſtaldi de peſt. p. 116.

plum ex ephemeride peſtis Maſſilienſis † petemus, quae, cum accuratiſſime ſcripta ſit, fidem majorem meretur. Ex ea certiſſime conſtat, morbum illuc mercibus ex orientali parte maris Mediterranei allatum fuiſſe: qui primus enim ea corripiebatur, unus ex nautis fuit navigii iſtius, quo merces fuerant advectae; hunc proximi ſequebantur, qui mercium iſtarum curam habuerunt, dum quadrageſima peragebatur; & cito poſt chirurgus, quem corporibus defunctorum examinandis magiſtratus Maſſilienſes praefecerant. Nemini, opinor, qui haec recte perpenderit, ullus omnino dubitandi locus relinquetur, quin merces ſecum contagionem afferre poſſint: tam clara enim ſunt rei documenta, quae vel maxime incredulis omnem ſcrupulum eximant. Fieri poteſt, ut ante

† *Journal de ce qui s'eſt paſſé a Marſeille, &c.*

mercium

mercium adventum genus aliquod febris praeter ſolitum pernicioſae, quam vulgo peſtilentem vocamus, Maſſiliae fuiſſet: ſed nullam iſtiuſmodi febrim, peſtis nomen jure ſibi vindicare poſſe, ſupra oſtendi: ex contrario, veram peſtem a febribus iſtis peſtilentibus diligenter oportet diſtingui, ne alioquin de hoc argumento diſputantes in errores incidamus.

Febris, inquam, inuſitatae malignitatis ante mercium illarum adventum Maſſiliae fuiſſet; imo unum forſan aut alterum exemplum febris comparuiſſet, quae eruptiones emitteret, iis haud admodum diſſimiles, quae in peſte conſpiciuntur; quales & hic Londini aliquando nos obſervavimus: plane autem incredibile videtur, veram peſtem ante id tempus apparuiſſe. Nam a nautae obitu, quo terror primum incuſſus attentionem

excitavit,

excitavit, ſex integrae prius decurrerant hebdomades, quam magiſtratibus nunciatum fuit, peſte quenquam in urbe interiiſſe. Et nunquam, opinor, notum fuit, peſtem ſemel eruptam tanti temporis inducias, aeſtuante caelo, feciſſe.

Ad majorem argumenti hujus confirmationem non parum conducet, quod de ſimili mercimoniorum effectu in variolis vir ſpectatiſſimae fidei mihi narravit. Is enim morbus, qui, ſicut peſtis quaedam, ab his terris tam ad orientalem, quam occidentalem Indiam haud raro tranſmittitur, ab India ſemel orientali ad Bonae Fidei promontorium ſequenti modo afferebatur. Navis abhinc circiter quadriennium illuc ab India orientali appulit: inter navigandum tres pueri variolarum morbo laboraverant, quorum ſordida lintea in arcam recondita

dita fuerunt & reſerata. Haec, navi in portum delata, educta ſunt, & indigenis ut eluerentur tradita; qui, cum ea contrectarent, variolis ſtatim infecti ſunt, morbuſque per multa milliaria diffuſus totius fere regionis incolas abſumpſit.

Quo modo contagionis ſemina merces retineant, res adeo difficilis explicatu viſa eſt, ut auctores * nonnulli luem ab inſectis procreari exiſtimaverint; quorum ova ab alio in alium locum deferantur, & excluſa morbum pariant. Ut haec autem opinio nullis omnino documentis confirmatur, ita, ut arbitror, non neceſſe eſt ad eam noſmet recipere. Nam ſi, ut ipſi conjectavimus, materia contagionis actuoſa ſit natura, ex animalium praeſertim corruptione genita, facile

* Kircherus, Langius, &c.

eſt

eſt percipere, quomodo haec in mollibus, poroſis corporibus, arcte denſeque ſimul compreſſis, locari poſſit & conſervari.

Omnes ſciunt ſuffimenta, idoneis involucris obvoluta, odorem ſuum diutiſſime ſervare: &, quod maxime notari debet, illorum fragrantiſſima, ſicut haec, de qua agimus, materia, pleraque ſunt ſucci animales, ut moſchus, zibethum, & alia: res etiam quibus optime conſervantur, ad contagionem recipiendam & propagandam ſunt aptiſſimae, quales ſunt pelles, plumae, ſerica, pili, lana, goſſypium, linum, aliaque; quorum pars maxima ab animalibus quoque proveniunt.

Tertia cauſa contagionem ſpargendi, a nobis aſſignata, erat aëris corrupta conſtitutio. Cum aër ſalubris ſit, aeger proxime ſibi accedentes

dentes poteſt inficere: ſic peſtis aliquando in nave inter vectores manere invenitur, poſtquam ex aëre corrupto, ubi primum conceptus erat morbus, navigarint. Eximium hujus rei exemplum in peſte Genuenſi, anno 1656, accidiſſe fertur. Undecim homines contagioni ſubtrahere ſe ſtatuentes, naviculam conſcenderunt, qua Provinciam peterent; quorum unus, ſimul ac mari ſe commiſiſſent, peſte correptus, caeteros infecit; quo factum eſt, ut, cum alii ex aliis aegrotarent & morerentur, acceſſu ubique prohibiti, eo, unde ſolverant, redire coacti ſint; & quando navicula iterum ad portum Genuenſem reverſa eſt, unus tantum ex clade funeſta ſuperfuit*.

* Toulon, Traité de la peſte.

Veruntamen cum res ita ſit, morbus haud longe dilatari ſolet; quia contagioſae particulae cito diſperſae effugiunt. At in corrupto aëris ſtatu, quoties contagioſa effluvia cum ſubtilibus particulis ex corrupto aëre generatis coëant; his conjuncta non tantum magis actuoſa & potentiora, ſed etiam durabiliora fiunt; materiamque contagioſam efficiunt, quae malum ab aegro, unde prodiit, multo longius diſſeminare poſſit.

Calidum aërem ad contagionem propagandam frigido generatim aptiorem eſſe, nemo dubitare poteſt, qui, quanto longius in illo, quam in hoc, omnigena effluvia diffunduntur, cogitet. At is aëris ſtatus, cum humor intempeſtivus & ventorum abſentia acceſſerint calori, qui peſti in regionibus quibuſdam ortum

 praebet,

praebet, in omnibus ſine dubio illam augebit. Nam Hippocrates eodem modo peſtilentem aëris ſtatum in ſua patria deſcribit; quo Arabes illam aëris conſtitutionem, ex qua peſtis in Africa naſcitur *. Et Mercurialis nos docet, peſtem ſuo tempore Patavii eandem aëris conſtitutionem habuiſſe †. Idem quoque a Gaſſendo obſervatur in peſte Dinienſi ‡. Praeterea facile oſtendi poteſt, quemadmodum aër malignis iſtis qualitatibus, ſub ſenſus cadentibus, imbutus, de quibus in ſuperiori capite tractavimus, contagioſis morbis, corpus iis obnoxium reddendo, faveat.

* Hippocr. Epid. l. 3. Hippocratem aëris conſtitutionem, quae veram comitatur peſtem, hic deſcribere, contra quam nonnulli ſenſerunt, Galenus in commentario ſuo ad hunc locum teſtatur, De temp. l. 1. c. 4. & De differentiis febr. l. 1. c. 4.

† *Vid.* Mercurial. Praelect. de Peſtilent.

‡ Notitia eccleſ. Dinienſis.

Aliae quidem noxiae aëris qualitates majorem, quam calor ſolus, conſiderationem poſtulant: aliquando enim, aeſtu increſcente, decedit peſtis, dum aliis rationibus aër temperiem induit meliorem. Smyrnae peſtis, quam naves illuc quotannis advehunt, circiter quartum & viceſimum diem Junii perpetuo ceſſat; quoniam ea tempeſtate, noxiis vaporibus, qui vere regioni incommodant, diſſipatis, caelum ſemper aridum eſt & ſerenum. Caeterum aëris calor eam vim habet, ut ſi qua navis menſibus hyemalibus, Novembri, Decembri, Januario, aut Februario morbum afferat, nunquam ſpargatur; ſin autem ſerius adveniat, Aprili nimirum, aut poſtea, ad dictum tempus permanet.

Ad haec, quod de occultis quibuſdam aëris vitiis, peſtis propagationi ſervientibus, antea dictum fuit, in his ſimiliter terris locum habebit. Hoc ultima Londini peſtis plane demonſtrat, cujus ſemina primo ingreſſu, & dum una alterave domo contineretur, per duram & glacialem hyemem conſervata, primo veris tempore, vi nova accepta, pernicioſam naturam rurſus exſeruerunt; ſequenti autem hyeme adeo repreſſa fuerunt, ut haud amplius ſe oſtenderint, licet ex paroeciis urbanis plures dimidia parte menſe Decembri fuiſſent infectae.

Vitiata aëris conſtitutio ſine dubio requiritur, ut contagioſae iſtae atomi vim ſuam plene accipiant; alioquin certe haud facile intelligi poteſt, qui peſtis, cum ſemel locum aliquem invaſit, prius ceſſaret, quam

omnes

omnes incolas prorſus deleverit. Haec autem difficultas cito evaneſcet, ſi modo aërem ſtatuamus, noxiis qualitatibus ſublatis, in ſtatum ſalubriorem immutari, quo malignitas diſſipari ac ſupprimi poſſit.

Ex contraria parte non apparet contagionem vulgo per aërem, quomodocunque corruptum, poſſe ad longinquum ſpatium deferri; peſtis vero ab infectis hominibus, & mercimoniis oppidatim plerumque apportari videtur: nam innumeris exemplis liquet, ſtrages maximas in oppidis quibuſdam peſtem feciſſe; cum alia vicina oppida, pagique morbo omnino caruerunt. Hinc fit, ut peſtis aliquando a loco in locum temere admodum, ac nullo certo ordine ſervato, gradiatur. Thuanus * peſtis in Italia

* Hiſtor. lib. 62.

mentio-

mentionem facit, quae anno primo Tridenti & Veronae graſſata, proximo Venetias & Patavium invaſit, Vicentiam, quae media interjacet, intactam praeteriens, quam tamen anno ſubſequenti occupavit; certiſſimo ſane argumento peſtem a Verona per aërem Patavium & Venetias haudquaquam advolaſſe; fieri enim tunc non potuerat, quin corruptus aër omnia in tranſitu infeciſſet. Ejuſdem generis exemplum in Gallia nuper habuimus, cum peſtis ex Provincia ad Gabalos, multis leucis diſtantes, tranſiliit. Solet quidem peſtis, praeſertim ſi violentior furit, ab infectis locis in adjacentes ferri; quod alias quidem, ut probabile videtur, ex commercio aliquo efficitur, quod oppidis infectis cum regione circumjecta, gratia illorum, quae ad uſus humanos pertinent, neceſſario intercedit, veneni ſubtilitate curam aliquando

quando diligentiſſimam eludente; alias vero ab iis, qui a locis infectis in viciniam demigrant.

Demonstrari non poſſe confiteor, in nullo oppido, quo maxima ſtrages a peſte edatur, tantum fore numerum aegrotorum, qui aërem contagioſis effluviis, ex ſeſe emiſſis, adeo ubertim impleant, ut in vicinum oppidum aut pagum a ventis ferantur, nec in tranſitu ita diſſipentur, quin malos producant effectus; praeſertim cum haud raro evenit, ut aër noxiis hiſce atomis tantopere oneretur, ut nullum oppidi locum tutum relinquat; quo fit, ut cum morbus ad ſummum pervenerit, omnes promiſcue inficiantur, tam qui ab aegris longius remoti ſint, quam qui prope ad eos accedant; licet in peſtis initio ab omni aegrorum conſuetudine abſtinere, optimum ſit praeſidium.

Hoc

Hoc autem non ſaepe evenire exiſtimo: perinde ut fumus, quo ſemper aër Londinenſis, hyeme vero maxime, ſaturatur, non multa milliaria avehitur; licet quantitas illius longe major ſit ea contagioſorum effluviorum, quae peſtis exitioſiſſima generare poſſit.

Sed ut ea, quae ad aërem ſpectant, concludamus, cum malae ejus qualitates, in borealibus his regionibus, ſine contagio importato, peſtilentiam facere per ſe nequeant; hinc vulgaris iſta opinio, a magni nominis ſcriptoribus * non improbata, falſa eſſe apparet, qua peſtis ſemel triginta aut quadraginta annis neceſſario ad nos ſemper recurrere dicitur; quod cum purum putum ſit figmentum, nulla ratione aut experientia nixum, a vanis hu-

* Sydenham De peſte.

juſmodi timoribus mentes hominum liberari debent. Cum peſtis enim nunquam apud nos primum generetur, ſed ab exteris regionibus caſu quodam fortuito afferatur, adventus ejus a nulla certa temporis periodo pendere poteſt. Et quamvis tres aut quatuor ultimae peſtes intra centum annos nobis evenerint, id tamen temporis ſpatium haud ſatis longum eſt, ut generalis regula ex eo conſtituatur: immo per quinquaginta ſex annos, proxime elapſos, nullam hoc genus calamitatem accidiſſe cernimus.

Tantum abeſt, ut aër noſtrae regionis verae peſtis unquam ſit origo, ut vero ſimillimum videatur, mitiores eos morbos contagioſos, variolas & morbillos, nunquam ab illo primum produci. Nam ut hi morbi in Europa inauditi erant, priuſquam Mauri Hiſpaniam invaſerunt; ita certe ab illis advecti, ex eo tempore

tempore contagionis ope locum tenuerunt, ſeminibus morborum contagioſis vim ſuam maleficam diverſo gradu expromentibus, prout aër ad ea adjuvanda magis minuſve fuerit idoneus; qui tamen nunquam illis adeo ſit adverſus, ut tam diuturno tempore ab agendo penitus cohibeat, quo prorſus diſperdantur.

PROINDE non tantum nulla neceſſitate hiſce periodicis peſtis reditionibus obnoxii ſumus, ſed ex contrario, licet acceſſiones aliquot ejuſmodi experti ſimus; exempla tamen non deſunt malarum contagionum, quae ab externis regionibus ad nos allatae, minus hic noxiae fuerunt, cum aër noſter borealis impreſſiones illas non pariter admitteret.

MORBUM, quem vulgari apud nos appellatione, *the ſweating ſickneſs*,

ſupra memoravimus *, qui tamen *ſudor Anglicus*, & *febris ephemera Britannica* dictus fuit, quia hic natus fuiſſe credebatur, peregrinam habuiſſe originem veriſimillimum videtur: qui, etſi peſtis quidem communis non eſſet, cum glandularum tumoribus & carbunculis; vera tamen erat peſtilentia, ex eadem cauſa proveniens, ſpecie tantum mutata, ac vi imminuta ex ſalutari caeli noſtri temperie. In multis enim indiciis cum peſte vulgata conveniebat, cujuſmodi ſunt languor graviſſimus, inquietudo, internus ardor, & alia; quae nuſquam alias, praeterquam in vera peſte, adeo vehementia eſſe obſervata ſunt, ut hic fuiſſe deſcribuntur. Et quod his etiam majus eſt, morbus erat contagioſus.

ANNO 1485 primum inter nos

* Pag. 60.

ſentie-

ſentiebatur, in exercitu exortus, quocum Henricus VII a Gallia rediens Cambriam appulit §. A Rhodo autem triennio ante, vel quadriennio, cum Turci eam celeberrima iſta obſidione premebant, deveniſſe nonnulli crediderunt, ut ex loco quodam Caii tractatus jam citati colligi poteſt *. His accedit, quod cum ex eo tempore ſaepius redierit, annis nimirum 1506, 1517, 1528, & 1551, ex peſte vulgari anno 1528, quae tunc temporis in Italia † graſſata eſt, ortum habuiſſe, merito ſuſpicari licet; quod nobilem gentis noſtrae hiſtoricum olim conjectaſſe invenio ‡. Et caeteras quidem reverſiones a lue

§ *Vid.* Caium De febr. ephemer. Britann. & Verulamii Hiſtor. Henrici VII.

* Pag. 162. edit. Lovan.

† *Vid.* Rondinelli Contagio in Firenze, & Summonte Hiſtor. di Napoli.

‡ Lord Herbert's Hiſtory of Henry VIII.

quadam

quadam Turcica derivatas fuiſſe credibile videtur: ni forſan earum nonnullae reliquiis morbi adhuc remanentibus originem deberent, opportuna aëris conſtitutione reverſa, quae latentia ſemina excitaret, antequam prorſus deperdita eſſent. Vero ſimilius videtur hunc morbum ex contagione importata profectum fuiſſe, quoniam certo ſcimus hanc ſpeciem ejus non fuiſſe noſtrae inſulae peculiarem; ſed, iiſdem ſignis eam comitantibus, magnas Germaniae aliiſque regionibus clades attuliſſe *.

Morbum hunc peſtem vi imminuta appello, quia licet millia aliquot hominum, haud recte tractatorum, abſtulerit; quod magnum profecto eſt maleficae naturae documentum, quae vel peſtem ip-

* Thuani Hiſtor. lib. 5.

ſam

ſam vulgarem in eo exceſſit, quod pauci ab hoc morbo abſumpti ultra unius diei naturalis ſpatium, a prima morbi acceſſione, vitam produxerint; receſſus tamen illius hoc ſpatio per ſudores profuſos, ſi modo debita cura promoverentur, *Improviſo potius naturae aſſultaſſe, quam obſtinate remediis reſtitiſſe*, ut doctus & ſapiens ait hiſtoricus, oſtendit: nam, ut idem vir illuſtriſſ. ſcribit, *Si aeger cardiacis potionibus temperatis foveretur, plerumque convaleſcebat**. Et, quod magis notabile exiſtimo, ſudor, naturalis hujus morbi criſis, efficaciſſimum vulgatae peſtis remedium a medico praeſtantiſſimo inventus fuit: quo, ſi in tempore adhibeatur, morbus aliquando ſine ullis externis tumoribus depelli poteſt. Praeterea vir ille obſervandi peritiſſimus nos docet,

* Verulamii Hiſt. Henrici VII.

multis

multis aegris, quos ipſe curabat, poſtquam vim morbi ſudore hujuſmodi arte elicito fregiſſet, alterum non medicamentis excitum, ſed naturalem erupiſſe, quo mire reficiebantur *.

Ut ea autem, quae diximus, magis adhuc confirmentur, nequeo hic praeterire febrem quandam ſimilis naturae; quae a Dunquerca, unde milites noſtri eam ſecum tranſtulerunt, nomen ſortita, appellata eſt *the Dunkirk fever*, & menſe circiter Septembri, anno 1713 nos infeſtavit. Haec forſan a peſte originem duxit, quae ante paucos annos Dantiſci erumpens in oppidis borealibus aliquandiu manſerat. Inter nos quidem ea febris dolore capitis incipiens, profuſis ſudoribus

* *Vid.* Sydenham De peſte, ann. 1665.

plerumque

plerumque deceſſit, aegris haud amplius uno die in lecto defixis; Dunquercae vero vomitus, diarrhoea, aliaque ſigna illam comitata ſunt.

Sed ut illuc, unde digreſſus ſum, revertar, ex ante dictis, opinor, manifeſto conſtat, peſtem verum eſſe venenum, quod in auſtralibus mundi partibus genitum, illic ſe ſuſtentat, circuitu quodam ab infectis hominibus in merces commigrando; quod incolarum negligentiae in iis regionibus praecipue debetur, qui ſtupide admodum rei iſtius curam omittunt: item morbum, quoties aëris conſtitutio ipſi faveat, magna illic violentia ſaevire, quo tempore praeſertim aegri cum aliis eum communicant: contagioſam quoque materiam latere, in laxae molliſque texturae mercibus reconditam, quae denſius con-

 fertae,

fertae, & in alias regiones comportatae, ſemina contagionis in ſe concluſa, cum aperiuntur, emittunt, & morbum producunt, quando aër ad vires iis ſufficiendas ſit idoneus; alioquin vero fieri poteſt, ut diſſipata haud multum damni inferant: aërem denique ad longinquum ſpatium diffundere ac ſpargere haec non ſolere, ſi omnis acceſſus ad locum infectum, & cum eo commercium diligenter prohibeatur.

PARS POSTERIOR.

De rationibus contra Peſtem ineundis.

CAPUT I.

De Contagionis ab aliis regionibus advectu prohibendo.

SICUT magnum eſt ſolatium, peſtem non eſſe nobis conterraneam, intelligere; ita ſummae incitamentum eſt diligen-

tiae in rationibus excogitandis, quibus ab ea nos tueamur.

Duo autem hic requiruntur: Ut rationes idoneae capiantur, ne in noſtram inſulam morbus advehatur; & ſi calamitas ejuſmodi forte accidat, ut cura adhibeatur, ne latius ſe diffundat.

Horum priori proviſum eſt inſtituta conſuetudine, qua naves, ab infectis locis advenientes, quadrageſimam peragere coguntur. De qua ut illa, quae ſequuntur praecepta, obſerventur, neceſſarium eſſe videtur.

Prope portus noſtros locis convenientibus, parvis inſulis, ſi fieri poſſit, extruantur valetudinaria; quibus tam homines, quam merces, a locis contagione ſuſpectis advenientes, recipiantur. Neque enim ſatis

ſatis eſt homines in navi dies quadraginta concluſos detinuiſſe; cujus rei ea ſola eſt utilitas, ut, ſi qui ex iis mortem obeant, obſervetur. Lues enim in veſtibus, quibus ſemel inſedit, poteſt tam diu ſervari, ut non minus illius, imo plus, poſt exactos, quam ante inceptos dies quadraginta, ſi morbus in navi ſaevire pergat, ad litus adferatur; niſi quoties quis moritur, recens ineatur quadrageſima; cui forte nil, praeterquam omnium in navi hominum interitus, finem imponat.

Si quis morbus contagioſus navem invaſerit, ſani homines, relictis veſtibus, quas comburi oportet, loti, raſi, & alia veſtimenta induti, in valetudinario triginta vel quadraginta dies commorentur. Hoc autem ideo fieri convenit, quia homines, licet ipſi ex aegritudine convaluerint, contagionis tamen

materiem

materiem diu ſecum retinere poſſint: ſicut variolas ex illis ſaepe contrahi videmus, qui multos jam dies ab eo morbo fuerint recreati.

Aegri, ſi qui ſint, a ſanis ſeorſim in aedibus remotis ſecludantur; & aliquanto poſt ſanitatem recuperatam laventur, tondeantur, & alias veſtes induant, iis concrematis, quas aegrotantes geſſerant; & deinde in ſanorum aedes tranſducti, triginta vel quadraginta dies illic maneant.

De veſtibus aegrorum conſumendis impenſe ſum ſolicitus, quia ſubtiliſſimum contagionis virus retinent. Scriptor ingenioſiſſimus *, in eleganti ſua peſtis deſcriptione, quae anno 1348 Florentiae ſaeviit, narrat ſe duos porcos vidiſſe, qui,

* Boccaccio Decameron. giornat. prim.

cum

cum pauperis cujuſdam morbo illo ſublati pannos, in vicum projectos, roſtris ſollicantibus excuſſiſſent, dentibuſque laniaſſent, convulſionibus correpti hora minus expirarunt. Tradit etiam doctiſſimus Fracaſtorius, ſuo tempore, cum peſtis Veronae graſſabatur, non pauciores viginti quinque hominibus, pellitae unius veſtis contagione, alios ex aliis, periiſſe *. Foreſtus quoque ſimile exemplum memorat de ſeptem pueris, qui ſuper pannis, ab infecta apud Zelandos domo Alcmariam, Bataviae borealis oppidum, allatis, colludendo deceſſerunt †. Item demortuus nuper vir reverendus, cui nomen fuit *Williams*, illuſtriſſimo Baroni *Paget*, dum legationem Conſtantinopoli obiret, a ſacris, haud diſſimile quiddam narrare ſo-

* De contagion. l. 3. c. 7.

† Obſervat. l. 6. Schol. ad obſerv. 22.

lebat,

lebat, quod a Turcico ſatrapa, quem *Baſſa* appellant, acceperat. In expeditione, quam ſatrapas iſte in fines Poloniae fecerat, quidam ex Janizariis, qui ſub illius erant imperio, peſte moriebatur; cujus ſagum pretioſum alius Janizariorum ſibi comparatum haud citius induerat, quam morbo ſtatim correptus extinguebatur; eodemque poſtea fato quinque alii Janizarii, qui idem geſſerant, fungebantur. Hoc ſatrapas viro reverendo jam dicto ideo praecipue nunciavit, quod ea ratione permotus ſagum illud comburi juſſerat. Voluit enim hoc exemplo ei demonſtrare, inter Turcos eſſe, qui majori cogitandi libertate utebantur, quam ut cum vulgo Mahommedanae de fato doctrinae fidem ſuam adſtringerent.

Si navem nullus invaſerit morbus, non eſt, ut opinor, cur homines

mines quadrageſimam peragant; laventur tamen, ac veſtes eorum, ſicut merces, aëri perviae in valetudinario per hebdomada expurgentur.

Sed maximum eſt periculum ab iis mercibus, quae ad luem retinendam ſunt aptae; quales ſunt goſſypium, cannabis & linum, charta aut libri, ſerica omnia, lintea, lana, plumae, pili, & cuncta pellium genera. Hiſce repoſitorium ab hominum valetudinario procul aſſignetur, ubi locis convenientibus reſolutae atque explicatae ſarcinae aëri per quadraginta dies, quantum licet, exponantur.

Nimis forſan diuturnum tempus hoc videbitur; ſed cum haud certo ſciamus, quantum temporis opus ſit ad contagioſam materiem ex ſpongioſarum rerum foraminibus expur-

gandam, nulla hac in re cautio nimia eſſe poteſt. De tempore ſane hic praeſcripto, quod conſuetudine jam diu ab omnibus recepta ſtabilitur, ne minimum quidem detrahi oportet; ni explorandi ratio excogitari poſſit, quando noxia effluvia haud amplius ex corporibus emittantur. Poſſit fortaſſis reperiri, ſi tenera animalcula, aviculae nominatim, prope ea admoveantur. Obſervatum enim fuit aves a locis peſte infectis avolaſſe, & pleraſque earum, quae in caveis concludebantur, obiiſſe *. Jam ſi percipiatur aviculas, volitandi poteſtate ſub ipſum quadrageſimae initium inter merces permiſſa, contagioni eſſe obnoxias; poterit quadantenus cognoſci, quando merces fuerint perpurgatae, experimentum repeten-

* Diemerbroekius De peſte, l. 1. c. 4.

do, donec aviculae inter illas emiſſae nihil damni exinde contrahant. Quaenam autem rei hujuſce ſit utilitas, ſola experientia docebit: non enim ignoro omnia animantium genera ab omnibus peſtilentiis haud pariter affici; contra, ſuam plurimis peculiarem eſſe; morbus cujuſmodi paucis abhinc annis boves invaſit, quo neque alia bruta animalia, neque homines vel minimum laedebantur.

Quicquid autem ſit, quadrageſimarum uſus ex eo non penitus tolletur, quod temporis ſpatium ad purgationem illam neceſſarium haud certe ſciamus: cum id ſaltem, utrum merces inficiantur necne, quadrageſimae experimento licet cognoſci; ſi enim inficiantur, vix fieri poteſt, ut omnes, quorum eſt officium eas curare, incolumes evadant.

Quod quoties accidit, merces conſumi oportet.

Merces, cum in repoſitorio collocantur, explicandas eſſe cenſeo; alioquin nihil valet illic reponi. Mos iſte in omnibus Italiae portubus perpetuo obſervatur. In Ligurno portu rem ita ſe habere, teſtatur nuper in lucem edita quadrageſimas ibi peragendi ratio. Idem quoque Venetiis obſervatum invenio, ex authentica ſcriptura, quae nunc prae manibus eſt, de rationibus in ea civitate adhibitis, ubi quadrageſimae jam inde ab anno 1484 fuerunt imperatae, quo tempore primum in Europa, quantum mihi apparet, inſtituebantur. Venetiis omnes goſſypii, camelinorum, fibrinorumve pilorum, aliarumque id genus mercium faſces, ab uno extremo ad alterum diſſuuntur, & quotidie perforantur a bajulis, qui

nuda

nuda in illas brachia inſerunt, ut aëri liber aditus ad omnes partes mercium pateat. Rationes quaſdam hujuſmodi neceſſarias eſſe, ex infortunio, quod circiter viginti quinque abhinc annos in inſula Bermuda accidit, ſatis manifeſto probatur; ubi, ut a cl. Halleio accepi, goſſypii ſaccus in litus occulte invectus, plus menſe in domo quadam, ſine ullo cujuſvis e familia damno, abſconditus jacuit; quum vero inter incolas diſtribui coepit, tanta contagione illos affecit, ut vivi mortuis humandis vix ſufficerent. Halleio rem narravit dux bellicae navis, Tuckerus nomine, Bermudenſis, cujus frater, ejuſdem nominis, regii ſcribae vicem hic nuper praeſtitit.

Sane, quum crebro expertum fuerit, ex cunctis mercibus, quae contagionem retinent, goſſypium eſſe maxime

maxime periculoſum, ac Turciae regiones perpetuum fere ſint peſtilentiae ſeminarium; non poſſum non aequiſſimum putare, ut, quicquid illinc goſſypii allatum fuerit, per quadrageſimale temporis ſpatium reſervetur expurgandum; ne forſan contagione fuiſſet imbutum, cum in ſaccos conferciretur, etſi nihil mali ex ea nautae acceperint. Neque tempus interjectum, ex quo conferciebatur, uſque dum huc advenerit, ſatis eſt, ut contagionem prorſus amiſiſſe pro certo credatur. Illud ſaltem temporis ſpatium, quo naves ex iis partibus Maſſiliam curſum peragunt, huic rei non ſufficere, non tantum recens exemplum nos docet; ſed etiam obſervatio in commentario quodam, quod a legato commercia Maſſiliae procurante confectum, legere mihi contigit. Maſſilienſis portus in Gallia ſolus eſt, cui merces ex orientali parte

parte maris Mediterranei convectas accipere permittitur, utpote qui ob multas parvas inſulas, prope adjacentes, ad quadrageſimas agendas maxime eſt idoneus. Idem quoque jus portibus Galliae in oceano occidentali ſitis legati ſui anno 1701 petentes, libello exhibito, complures cauſas cur iis concederetur, apud regium commercii concilium expoſuerunt. His legatus Maſſilienſis in commentario jam dicto reſpondens, portum Maſſilienſem prae caeteris omnibus eſſe quadrageſimis opportunum urget; & quo rei momentum evincat, diſertis verbis aſſerit, *Saepe in eo loco inventos fuiſſe, qui, dum merces in quadrageſimali ſtatione retentas curarent, peſte correpti obierunt.* Jam ſi compertum ſit mercibus, dum ex oris Turcicis Maſſiliam adferebantur, contagionem adhaeſiſſe; quo tempore ad nos perveniant, ab omni

conta-

contagione neceſſario immunes eſſe, quod longior paulo eſt navigatio, nimis audax & temerarium videtur in re tanta concludere. Sed praeter haec, non exempla deſunt mercium, quae per multos annos luem retinuerunt. Tradit enim Alexander Benedictus plumeam culcitam, quae ob contagionis ſuſpicionem per ſeptennium fuerat ſepoſita, perniciosos effectus poſt tantum intervallum intuliſſe*. Item narrat Theodorus Mayernus eques, lintea quaedam cruore & ſanie ulcerum, quae peſtis effecerat, coinquinata, ac inter ſtoream & parietem domus Pariſiis abdita, operarium, qui ea extraxit, multis poſt annis peſte infeciſſe, quae per totam urbem ſe ſtatim diffudit†.

---

* De peſt. cap. 3.

† A Paper of advice againſt the plague, laid before the king and council by Sir Theod. Mayerne, in the year 1631. *MS.*

Maxi-

Maximum eſt a goſſypio periculum, eo quod quaecunque effluvia prope accedunt, facillime imbibat ac retineat. Cujus rei circiter ſex abhinc menſes clarum cepi experimentum, goſſypium carni putreſcenti ita admovendo, ut ne eam contingeret; quod tanto putredinis foetore imbutum fuit, ut pyxide arcte obturata concluſum tam diuturno tempore tetrum odorem ſervaverit.

Sicut omnes tam ſani quam aegri, quadrageſimam agentes, diligenter curandi ſunt; ita obſervantiam illius graviſſimis poenis ſanciri oportet. Si navis itaque a loco adveniat, quo, cum e portu ſolveret, peſtis ſolito violentior ſaeviebat, ipſam una cum toto onere comburi tutiſſimum erit.

Ad haec notandum eſt, mercaturam cum iis cito nimis exerceri, inter quos contagio appetente hyeme deſaevierit, fore perculoſum; quia nonnunquam ita accidit, ut hyemis rigore morbus ſupprimatur, nec tamen ſemina ejus prorſus depereant, ſed obtorpeant tantiſper, dum tepidi veris acceſſu excitata vitam novam vireſque receperint. Sic cum peſtis funeſta, ante annos amplius ſexaginta, per binas aeſtates Genuae graſſaretur, priori circiter decem millia hominum perierunt, hyeme proxima vix ullus, ſequenti vero aeſtate mortuorum numerus ad ſexaginta millia excrevit. Noviſſima quoque Londini peſtilentia, ſub finem anni 1664 coorta, per trimeſtre fere gelu hyberno tempore intermittebatur, ita ut nullum ejus indicium ante ver ſequens appareret.

pareret *. Si merces itaque ex loco ejuſmodi exportatae, occultae aliquid contagionis retineant, timendum erit, ne idem in loco, quo convehuntur, pariant malum, quod in illo, a quo devehuntur, peperiſſent.

At in primis neceſſarium eſt, furtivam bonorum invectionem legibus acerrimis coërcere: a qua nefaria conſuetudine magis, quam ab alia quacunque cauſa, morbum ex Gallia ad nos traducendi periculum impendere videtur.

Haec, ut opinor, praecipua ſunt rerum capita, quibus adverſus contagionem ab aliis regionibus provenientem nos tueamur. Rationes autem, quibus haec recte peragantur, quales ſunt navium viſitatio, valetudinariorum diſciplina, aliae-

---

* Hodges De peſte.

que, adminiſtris ejus negotii, haud ſine peritorum medicorum auxilio, ut res poſtulet, curandas relinquo.

CAPUT II.

De Peſtis propagatione, ſi terram noſtram invadat, cohibenda.

PROXIMUM eſt conſiderare, quid agendum ſit, ſi, cura publica per adminiſtrorum negligentiam, aliamve cauſam, minus ſuccedente, invadat nos peſtis.

NULLUM aliud eſt malum, cui magnum illud praeceptum magis conveniat, quo *principiis obſtare* monemur: peſſimo tamen fato accidit, ut rationes olim adhibitae omnino

omnino obſtiterint, quo minus hoc effatum obſervari poſſet.

Cum in aliquo ſingulari loco peſtis ſemper erumpat, quae magiſtratus praeſcribit, ejuſmodi eſſe oportet, ut non minus in commodum familiarum cedat calamitatem ſuam indicare; quam ſi, ardentibus tectis, uti opem ferant, vicinis inclament: contra vero, omnes rationes, quas hactenus perſequi ſolenne fuit, ſeverae potius diſciplinae, atque adeo ſupplicii, quam curae ac clementiae ſpeciem habuerunt; quae cauſa fuit, cur aegri morbum, quoad potuerunt, ſtudioſe celaverint.

Summa eorum, quae illis temporibus edicebantur, huc rediit*: Si

* *Vid.* Directions for the cure of the plague, by the college of phyſicians: *&* Orders by the lord mayor and aldermen of London: publiſh'd 1665.

domum

domum aliquam peſtis occupaſſet, ut protinus occluſa ſervaretur, janua ingenti rubra cruce, triſtique illo carmine, MISERERE NOSTRI, DOMINE, inſcripta; cuſtodibuſque die ac nocte ante fores excubantibus, ne cui exeundi aut ingrediendi opportunitas daretur, praeter medicos illos, chirurgos, pharmacopolas, nutrices, exploratrices, alioſque, quibus ea libertas auctoritate publica concedebatur; atque ut haec ad menſem ſaltem, poſtquam tota familia interiiſſet, aut convaluiſſet, continuarentur.

TRISTIOREM hac ſcenam miſeriae haud facile quis animo concipiat: familias morbo, quo nullus ſolatium magis & opem poſtulat, conflictantes occluſas, omnique neceſſariorum conſpectu privatas; inhumanarum forſan nutricum, quales iis temporibus ſaepe inter aegros verſantur, curae relictas;

lictas; nihil praeter moeſtiſſimum inter ſe ipſas mortis progreſſum intuentes, exigua tantum ſpe vitae cuiquam relicta; animiſque interim anxiis ac dubiis, annon praeſtaret emori, quam languens aevum trahere, lacrymoſis optimorum amicorum, cognatorumque proxime ſibi conjunctorum funeribus ſuperſtites.

Si metus, deſperatio, omniſque languor animi corpus accipiendae contagioni obnoxium reddant, viresque illius acceptae roborent, quae omnium medicorum eſt ſententia; nihil video, quo magis ingraveſcat morbus, quam hac tractandi ratione.

Nihil tantae crudelitati praetendi poteſt, niſi quod per eam in commune conſulatur, & a progreſſu arceatur lues. At ſi res bene perpendatur,

pendatur, aliter prorſus ſe habere apparebit. Dum contagio enim in domo concluſa nutricatur, & quotidianis acceſſionibus perpetuo augeſcit, fieri non poteſt, quin aër tantopere inficiatur, ut, cum primum datur exitus, luem per totam ſpargat viciniam. Aedes ita occluſae tot ſunt ſeminaria contagionis citius aut ſerius diffundendae. Menſtrua enim, vel longior mora ab aegri, qui ultimus occubuit, interitu nihil magis efficiet; quam ſi mercium infectarum ſarcina non laxata ſervetur: quandocunque Pandorae pyxis recluditur, evolabit venenum.

Sicut verae contagionis naturae ignorantia iſtis rationibus cauſam praebuit; ita perſuaſiſſimum habeo, quotieſcunque in hac urbe fuerint adhibitae, ad diuturnam peſtis continuationem eas plurimum contuliſſe:

liſſe: nec dubitandum eſt, quin effectus aeque pernicioſos in aliis regionibus habuerint.

HAUD miremur igitur graves nonnunquam querelas contra iniquam hanc conſuetudinem factas fuiſſe; quae quoties aegris relaxationem aliquam impetrarent, ſtatim ſubſequebatur morbi notabilis remiſſio. Peſtis anno 1636 magna violentia incepit; facta autem incolis per regiam auctoritatem aedibus egrediendi copia, ne unum quidem ex viginti, qui ſani egreſſi ſunt, in morbum incidiſſe, neque ex decem aegris unum periiſſe, obſervatum fuit *. Quod unum documentum, ſi alia defuiſſent, tantum ponderis apud magiſtratus habere debuerat, ut ab arctiori hominum cuſtodia in poſterum ſemper eos deterruiſſet.

* Diſcourſe upon the air, by Tho. Cock.

terruiſſet. Sed praeterea peſtis praecedens, anno 1625, alterum inſigne decreſcentis morbi exemplum, poſtquam aedes occludi deſiiſſent, nobis exhibet. Tanta autem pars anni prius, quam id factum fuit, praeterierat, ut proximae hyemis acceſſus inter morbi diminuti cauſas ſine dubio numerari debeat; tam magna tamen fuit diminutio, ut conſtet ſaltem libertatem tunc datam ei nihil impedimenti attuliſſe. Nam ineunte Septembri libertas haec domos aperiendi fuit permiſſa; & quum ultima Auguſti hebdomade non pauciores quatuor millibus ducentis decem & octo periiſſent, proxime ſequenti funerum numerus ad tria millia trecenta & quadraginta quatuor, & haud amplius quarta deinceps hebdomade ad octingenta quinquaginta duo recidit*.

* *Vid.* The ſhutting up of houſes ſoberly debated, anno 1665.

Quoniam igitur ratio iſta olim uſurpata neque ad ortum contagionis explorandum, neque ad vim illius jam exploratae cohibendam ſufficiat; alias ſane de novo inſtitui oportet: quae mea quidem ſententia tales eſſe debent, quales eae ſunt, quae ſequuntur.

In primis concilium ſalutis indicatur, quod ex primariis quibuſdam regni miniſtris, tam eccleſiaſticis quam civilibus, praecipuis aliquot urbis magiſtratibus, duobus tribuſve medicis, aliiſque conſiſtat. Hiſce poteſtas detur providendi, ut omnibus ipſorum juſſis ſine ullo partium ſtudio pareatur; & ne qua minime neceſſaria ſeveritas quacunque ſpecie ab iis, quorum opera utuntur, in quenquam exerceatur.

Officium inquirendi per paroecias quo morbo ſinguli obierint, quod plerumque ad anus ignaras defertur, viris prudentibus & induſtriis committatur; quorum ſit, cum primum aliquos inſolenti mortis genere ereptos cum maculis in corpore lividis, bubonibus, aut carbunculis deprehenderint, concilio ſalutis nunciare; a quo periti illico medici ad ſuſpecta cadavera diligenter inſpicienda, vicinaſque domos, praeſertim pauperiorum, apud quos malum hoc ſemper fere exoritur, explorandas mittantur; & ſi peſtilentiam erupiſſe renunciaverint, omnibus ſtatim, quae morbo tentantur, familiis migratio imperetur; aegri ad diverſas a ſanis traducantur aedes, utrique vero tribus vel quatuor extra urbem milliaribus; ſanique omnibus ſuis veſtibus exuti laventur, & radantur, priuſquam ipſis novas

novas habitationes ingredi liceat. Has autem migrationes expedit noctu fieri, cum vici minus frequententur, quo nullum adeatur contagionis ſpargendae periculum. Curandum eſt etiam maxima diligentia, ut commodiſſimae aegros devehendi rationes comparentur, ne quam inter migrandum injuriam accipiant.

Ut pauperes ac tenuioris ſortis homines his modis tractari neceſſe eſt; ſic opulentiores, quibus illa datur facultas, loco valetudinariorum ad villas ſuas ſe recipere cogantur; ea tamen lege, ut cura ſemper adhibeatur ſanos ab infectis ſeorſim ſervari. Eodemque tempore omnes incolas, quos morbus nondum corripuit, non ſinere tanctum, ſed hortari etiam oportet, ut urbe cedant; quae eo futura eſt ſalubrior, quo tunc ſit deſertior.

Nulla

Nulla cura & commiſeratio in aegros deſit; ad quos in aedibus puris, & ſereniori caelo expoſitis, jam collocatos, acceſſus, juſta cautione adhibita, miniſtrantibus non admodum erit periculoſus. Sumptus omnes publicum ſuppeditet aerarium; nec quantavis impenſa nimia cenſeri debet, qua natio a funeſtiſſima calamitate ſervetur. Et mihi profecto aequum videtur, ut is praemium ferat, qui contagionem in loco aliquo erumpentem primus indicaverit; cum ad malum ſuperandum primus ac praecpiuus ſit gradus iis patefacere, quibus idonea illius remedia proviſa ſunt.

Etsi rationes tam in aliis regionibus, quam apud nos inſtitutae, ab iis plerumque diverſae fuerint, quas hic propoſuimus; non deſunt tamen exempla feliciſſimi harum effectus,

fectus, quoties contigit eas obſervari.

Magistratus Ferrariae in Italia, anno 1630, cum tota regio circumjecta peſte laboraret, vicinorum conſilium haud proſpere cedere obſervantes, qui, ne commercio privarentur veriti, aegris intra domos occluſis, morbum ſtudioſe celabant, aliud ſequi inſtitutum, ut primum res poſtularet, decreverunt. Itaque haud citius civium quendam peſte ereptum acceperant, quam totam familiam in valetudinarium traduci curabant, ubi omnes, ſeptem numero, ſimiliter morte occubuerunt. Atque hac ratione morbo, licet infeſtiſſimo, finis ſtatim fuit impoſitus. Idem malum ſepties aut octies intra ſpatium anni rediit, quod eadem ratio toties repreſſit. Hoc deinceps exemplum aliae ejuſdem ditionis urbes haud ſemel tam felici

felici exitu ſecutae ſunt, ut communis utilitatis gratia in acta populi Ferrarienſis caput illud referre viſum fuerit: *Unum peſtis eſt remedium, quam primum fieri poteſt, eam indicare, atque ita in ipſo ortu ſupprimere* *.

Exemplum non minus inſigne hoc Ferrarienſi Romae evenit, quando peſtis illic ſaeviit, anno 1657, cujus ſupra mentionem feci. Poſtquam morbus vehementiſſime furens tam divites quam pauperes invaſerat, papa cardinalem Gaſtaldi primarium ſalutis praefectum conſtituit, jure totius ſacri collegii ad ipſum aliquandiu delato, cum libera poteſtate quicquid neceſſarium judicaret faciendi. Hic igitur ſub poena ſeveriſſima edixit, ne qui

* Muratori Governo della peſte, lib. 1. c. 5.

homines

homines aegri aut ſuſpecti in aedibus manerent. Aegros primo nuncio ad valetudinarium in Tiberis inſula removit, omneſque, qui cum iis habitabant, ad alias domos ſuburbanas, ut, ſi in morbum incidiſſent, ad inſulam mitterentur. Eodem tempore diligenter curavit, ut bona eorum ad locum aëri expoſitum purganda efferrentur. Quae edixerat, tanta conſtantia exſecutus eſt, ut ne ſummae quidem dignitatis homines ab hac tractandi ratione fuerint exempti; quod primum querelis cauſam adverſus cardinalem propter ſeveritatem praebuit, at cito poſtea omnes omnium gratias obtinuit; hac enim ratione bimeſtri ſpatio urbem a peſte prorſus liberavit, quae per biennium fere illam infeſtaverat. Et peculiariter obſervatum fuit, morbum, cum antea domum aliquam invaſerat, raro deſiiſſe, priuſquam totam familiam

corripuiſſet; hoc autem tractandi modo vix quinque ex centum hominibus, qui ſani ex aedibus auferebantur, infectos fuiſſe *.

ILLUD non duco praetermittendum, iiſdem rationibus peſtem Maſſiliae binas hebdomadas fuiſſe coërcitam; quae & penitus forſan potuiſſet extingui, niſi intempeſtiva civium confidentia vires illius poſt hanc intermiſſionem reſtituiſſet; quae, uti accepimus, tanta fuit, ut peſte omnino ſe laboraſſe negarent, palamque medicos & chirurgos vanum ipſis terrorem injeciſſe criminarentur †. Quo tempore ſine dubio conſilia ſaluti ſuae neceſſaria adeo neglexerunt, ut nihil mirum ſit, morbum denuo majori

* Gaſtaldi, De avertendâ peſte, c. 10.

† Journal de ce qui s'eſt paſſé en Marſeille, p. 9, 10, 11.

violentia

violentia erupiſſe, quam ut iterum vinceretur.

Sed praeter haec exterarum nationum exempla, unum haud diſſimile gens noſtra ſuppeditat. Cum peſtis, quae poſtremum in Anglia ſaeviit, oppidum *Poole* dictum apud Durobriges primum intravit, eam magiſtratus, dimiſſis ad valetudinaria extra oppidum aegris, ſtatim compreſſiſſe, non deſunt illic, qui bene recordantur. Indignum facinus tunc perpetratum ad rei hujuſce memoriam accuratius propagandam haud parum contulit. Cum nemo inveniri potuit, qui aegris in valetudinaria remotis adminiſtraret; oppidani puellam tunc capitis damnatam, ut illud muneris ſuſciperet, adducere ſunt coacti, hac conditione, ut veniam mortis ei impetrare conarentur. Puella morbum effugit, omittens vero cum magiſ-

tratibus agere, ut promiſſa praeſtarent, tribus poſtea aut quatuor menſibus juſſu praetoris, quocum ſibi diſſidium intervenerat, crudeliter ſuſpenſa fuit.

Animadverti hic velim, cum praecepta, quae hactenus tradidi, ea ſententia nitantur, quod ſanos ab aegris ſeparare contagionem ſiſtendi optima ſit ratio; in oppidulis & vicis, ubi commode fiat, utilius fortaſſis fore, ſi ſani ad tuguria in hunc uſum aedificata, aut alias habitationes aëri expoſitas tranſeant, quam ut a ſuis aegri ſedibus amoveantur. Apud Gallos hac via, cum reliquae omnes fruſtra tentatae eſſent, ſucceſſit. Hujus autem felix eventus probat aegrorum amotionem, ſi hac altera uti non liceat, eſſe aliarum omnium utiliſſimam.

Post

Post aegrotarum familiarum egreſſum, aedium, quibus habitabant, tota ſupellex comburatur, aut alte potius terrae infodiatur, praeſertim ſi patens & apertus locus non detur, quo comburi poſſit; quia fieri poteſt in anguſto loco, ut particulae aliquot contagioſae in viciniam cum fumo diffundantur: quod Mercurialis ſcribit Venetiis accidiſſe, ubi peſtis ex magna bonorum infectorum, quae cremabantur, copia incrementum cepit*. Ipſae etiam aedes, ſi tuto fiat, hoc eſt, ſi longe ſatis ab aliis ſint diſſitae, conſumantur igne, alioquin bene prius perpurgatae caemento obſtruantur. Ad haec, ſumma cura advigilandum eſt, ut quicquid procreare aut alere contagionem poſſit,

* De peſtilent. cap. 21.

aufe-

auferatur. In hunc finem pauperum cujuſque paroeciae curatores, quibus alii quoque adminiſtri adjungi poſſint, tenuioris plebis aediculas inviſere oportebit; & ubi nimis anguſte coarctatos, ſordibuſque oppletos inveniant, exemptos quoſdam ad commodiores domos mittere; omnique ſubſidio & incitamentis inducere, ut mundius & ſalubrius habitent.

Inter omnia bonitatis officia nullum magis ſibi praemium eſt, quam iſtiuſmodi caritas: quantivis igitur conſtat, ſumptus bene collocari judicetur. Nihil enim ad primam peſtilentiae originem tam prope accedit, quam aër concluſus, vaporibus humidis craſſus, ſordibuſque ex animantium corporibus profectis vitiatus.

Carceres noſtri rei cujuſdam, huic non admodum diſſimilis, exemplum nobis exhibent; in quibus febrem carcerariam, ut appellant, pauciſſimi effugiunt, quam malignitatis gradus loci auguſtiis & foetori aequalis ſemper comitatur. Non minus igitur ſapienter urbis ſaluti, quam miſerrimae illic detentorum conditioni clementer a magiſtratibus conſuleretur, ſi curarent, ut omnes cuſtodiae, quantum uſus, ad quem deſtinantur, ſinet, mundae ſint, & ad auram ſuſcipiendam accommodatae.

Conventus iſte juridicus, qui vulgo apud nos dicitur *the black aſſize*, anno 1577 Oxonii habitus, memoria nunquam excidet*; quo

* Camden. Annal. regin. Eliz.

judices, viri illuſtres, cunctique fere qui aderant, numero trecenti, peſtiferi vaporis afflatu perierunt: quem nonnulli terram exhalaſſe arbitrati ſunt; nobilis autem & magnus philoſophus*, in forum e carcere ſecum reos attuliſſe, rectius exiſtimaſſe videtur; nam illos ſolos ab eo haud laeſos obſervatum fuit.

Eodem tempore, quo haec aedium cura habetur, iis, quorum munus eſt, dentur mandata ſedulo providere, ut eluantur vici; & a ſordibus, morticinis, omnique rerum quoquo modo noxiarum colluvione mundentur; quae omnia noctu aſportari oportet: nec ſterquilinia propius urbem congeri ſinantur. Mendici, & errones ignavi coërceantur; & quorum con-

* Verulam. Hiſt. nat. cent. 10. num. 914.

ditio

ditio adeo miſerabilis eſt & deſperata, ut neque noſocomia publica, neque ergaſtula, eos aequum ſit accipere, ad noſocomium inſanabilium, eam ob cauſam extruendum, mittantur.

Hujus quidem generis praecepta omni tempeſtate neceſſario ſunt obſervanda, in urbibus praeſertim frequentioribus; quapropter aegre ferendum eſt, idoneas ejus rei adminiſtrandae rationes Londini & Weſtmonaſterii deſiderari, unde cives & honeſtioris loci homines incommodo indies majori afficiuntur.

Si haec, quae ut mature agantur, praecavendum eſſe diximus, irrita non fuerint, haud neceſſe erit vias conſiderare, quibus aëris intemperies ſanetur, purgentur aedes, aut ſinguli homines a contagione

gione defendantur: quorum omnium, ſi peſtis eo creverit, ut aegri prae numero removeri nequeant, ratio eſt habenda.

Quod ad primum attinet, ignis in hunc finem utilitatem omnes fere tam antiqui, quam recentiores laudarunt; qui, ut crebri, & multi ignes in oppidis infectis accendantur, ſuaſerunt. Hoc praeceptum vix alio fundamento niti videtur, quam traditione, qua fertur Hippocrates a peſte ſic Graeciam liberaviſſe. Sed eſt operae pretium obſervare, ne minimam quidem ejus rei mentionem in Hippocratis operibus fieri. Galeni auctoritati fides ejus potiſſimum debetur, quanquam alii quoque ſcriptores idem memorarunt. Galeno enim, theriacae efficaciam adverſus peſtem laudanti, cum igne comparare viſum eſt. Hinc, capta occaſione, narrat peſtem, quae ab Aethio-

Aethiopia in Graeciam tranſierat, ab Hippocrate depulſam, aëre per ignes accenſos purgato, in quos herbae fragrantes, flores, & unguenta maxime odorifera conjiciebantur *. Verum enimvero inter epiſtolas Hippocrati adſcriptas, fictas quidem illas, at Galeno antiquiores, extat decretum, in Hippocratis honorem ab Athenienſibus, ut prae ſe fert, editum; in quo, enarratis beneficiis, quae pater ille medicorum, peſte ſaeviente, in patriam contulerat, id unum memoratur, eum diſcipulos ſuos bene inſtitutos in varias regionis partes miſiſſe, ut morbo mederentur. Unde facile quis credat, hanc de ignibus narrationem vix aut ne vix quidem tunc temporis innotuiſſe, cum illae epiſtolae ſcribebantur. Praeterea diu poſt Hippo-

* Lib. de theriac. ad Piſon.

cratis mortem eam fuiſſe confictam, ex Sorano quoque magis adhuc confirmari videtur; qui tantum generatim ſcribit, peſtilentiae adventum ab Hippocrate praedictum fuiſſe, curamque civitatum Graecarum ſuſceptam, nulla omnino remedii hujus mentione facta. Plutarchus quidem aliquid huic conſimile in uſu fuiſſe, & a medicis vulgo probatum dicit; quod ea de cauſa memorat, ut morem quendam illuſtret inter Aegyptios receptum: qui, ut ait, reſinae myrrhaeque nidore aërem purgant; ſicut medici ligna odorata, juniperos, cupreſſos, cum aliis ejuſdem generis, comburendo, peſtilentiae temporibus aërem impurum detergunt, craſſumque attenuant*.

---

* Plutarch. Lib. de Iſid. & Oſir.

HANC

Hanc ſummam eſſe illorum exiſtimo, quae ex antiquis de hac re ediſci poſſint; unde liquet ſcriptores, cum Hippocratis auctoritatem & exemplum opinioni ſuae praetenderunt, de ignium vulgatorum uſu hic temere nimis pronunciaſſe, etſi quod ſcribit Galenus, verum fuiſſe admitteretur. Non enim hinc videbitur Hippocrates iis vim tantam tribuiſſe, cum ab aromaticis inſuper exhalationibus auxilium petere neceſſarium duceret. Sed ſupervacaneum eſt huic rei diutius immorari, cui ſolida deeſt auctoritas. Plutarchi, quem modo adduxi, locus medicorum illorum, qui conſuetudinem iſtam approbarunt, mentem clarius aperiet. Sperarunt enim, ut videtur, fore hinc ut aëris impuritas & craſſitudo diſpelleretur. Et ſane non dubium eſt, quin vitioſae aëris affectiones, quae ex vaporibus

poribus, exhalationibus, & quae hiſce ſint ſimilia, oriuntur, vel communibus ignibus poſſint in melius converti, atque ea conſtitutio illius ab his cauſis profecta, qua ad contagionem recipiendam aptus redditur, nonnunquam removeri. Hoc autem, ſi neceſſarium ſit, ante peſtis adventum faciendum eſſe cenſeo. Poſtquam enim morbus initium ſumpſit, vireſque collegit, cum notum ſit eum aeſtivo ardore ſpargi & augeri, contra vero frigore hyberno reprimi; ſine dubio quicquid ardorem iſtum promoveat, tantundem morbi violentiae adjiciet: quemadmodum Mercurialis obſervat, Venetiis ſuo tempore peſtem in fabros ferrarios, caeteroſque omnes, qui ad ignem operabantur, maxime ſaeviiſſe*. Num ignium

* De peſte c. 22.

utilitas

utilitas ullis aliis rationibus hoc incommodum compenſet, necne, ſola experientia demonſtrare poterit; & fatales exitus, quos in noviſſima apud nos peſte hujus rei experimenta habuerunt, ne plura iſtiuſmodi in poſterum fiant tentamina, ſatis ſuperque deterreant: nam ignibus per omnes vicos totum triduum imperatis, nocte una inſequenti non pauciores quatuor millibus, ut Hodges refert *, obierunt; cum ſingulis vel prioribus, vel poſterioribus hebdomadis, qui mortui efferebantur, nunquam in duplum ejus numeri excreverint. Idem quoque in nupera Maſſilienſi peſte fruſtra tentatum fuiſſe invenimus †.

* De peſte, p. 24.
† Journal de ce qui s'eſt paſſé a Marſeille, p. 19.

Quod de ignibus dictum fuit, idem intelligi debet de tormentis explodendis, quod temere nimis aliqui ſuaſerunt. Aëri optima medendi ratio eſſet, purum ac frigidum reddere. Hinc Arabes *, qui morborum peſtilentium naturam optime perſpectam habuerunt, aëris opportunitates, quantum liceat, captandas, domoſque ventis accipiendis idoneas ſublimioribus locis extructas, ac rivis praeterfluentibus refrigeratas, petendas eſſe monent.

Quod ad domos attinet, primo curandum eſt ut mundae ſerventur; nam ut ſpurcitia fons magnus eſt contagionis, ita optimum illius remedium eſt munditia; unde vera ratio apparet, cur pauperes morbis con-

* Rhaz. De re medica, l. 4. c. 24. & Avicenn. Can. med. l. 4. c. 1.

tagioſis

tagioſis maxime ſint obnoxii. De Perſis obſervatum fuit, etſi regio illorum ſingulis annis peſte circundetur, ipſos tamen raro aut nunquam ab illa detrimenti aliquid capere; eos autem omnium gentium munditiae ſtudioſiſſimos eſſe pariter notum eſt, nec multos inter illos deeſſe, quibus in partem haud minimam religionis veniat, omnes ſordes ac ſpurcitiem ab urbibus & tectis undique removere*.

PRAETEREA domos frigefacere monent Arabes, tanquam aliam purgandi rationem; in quem finem herbis refrigerantibus, quales ſunt roſae, violae, nymphaeae, & aliae, eas ſternere, item aqua acetoque eluere, praecipiunt: quibus omnibus, praeſertim ultimo, nihil commodius

* Gaudereau, Relation des eſpeces de la peſte, que reconnoiſſent les orientaux.

eſſe poteſt. Neque ab re eſſe videtur, aceto, aut ſolo, aut nitro immixto, candenti ferro laterive impoſito, aedes fumigare; licet hoc contrarium ſit iis, quae recentioris aevi ſcriptores plerumque praeſcribunt; qui benzoino, thure, ſtorace, aliiſque calidis medicamentis ſuffumigare jubent: ex quibus nihil adjumenti, quod ſciam, expectari poteſt, vel ad materiam contagionis tollendam, vel ad locos ſingulares tuendos, quo minus eos afficiat; quae duo hic ſola intueri oportet. Sulphuris fumus, cum acido ſpiritu abundat, quem vi maxima penetrandi, & fermentata reprimendi, praeditum eſſe experientia conſtat, commodi aliquid forſan hic adferat.

Sicut vapores calidi inutiles plerumque videntur, ita veneficorum foſſilium exhalationes periculoſae

ſunt

ſunt habendae. Nequeo igitur, quin omnes hydrargyri, vel arſenici fumigationes diſſuadeam: nedum monerem, quod placuit quibuſdam, ut arſenicum, ſcrobiculo cordis appoſitum, vice amuleti geratur; quae res peſſima ſaepe dedit incommoda, nec proba aliqua auctoritate nititur; ſed ex errore, ut videtur, initium ſumpſit, Arabica voce *darſini*, quae *cinnamomum* ſignificat, pro Latina *de arſenico*, falſo accepta, uti olim oſtendimus *.

Post domorum purgationem proximo loco conſiderare oportet, quibus potiſſimum rationibus ſinguli homines adverſus contagionem ſe poſſint defendere; cui rei ut efficienter provideretur, neceſſarium eſſet

* Mechan. account of poyſons, Eſſay III.

ſanguinem & ſuccos corporis in eum adduci ſtatum, quo nullas mutationes a contagionis materia paterentur. Quia autem id non magis ſperandum eſt, quam ſingulare aliquod medicamentum, quo a variolis defendamur; quod ſummum hic facere licet, curandum eſt illam corporis temperaturam conſervare, ut ei, quam minime fieri poterit, noceatur. Prima autem hoc efficiendi ratio eſt, incolumem valetudinis ſtatum tueri, quo minus ſemper obnoxii ſumus injuriis extrinſecus accipiendis; & corpus evacuando non infirmare. Altera eſt, omnem animi abjectionem & affectus immoderatos evitare, quibus ad crebriorem variolarum contagionem viam aperiri quotidie cernimus; ad quem finem ut victu generoſo ac ſalubri temperate uti oportet, ſic a jejuniis, vigiliis, nimia laſſitudine, & id genus aliis abſtinere. Alia defenſionis ratio

eſt,

eſt, ut, quibus remediis expedit, ab inflammatione ſanguis cohibeatur. Hoc, ſi nequeat efficere, quo minus contagio contrahatur, vim tamen illius imminuet. Adjumenta ad illud efficaciſſima, ex Arabum medicorum de peſtis remediis conſilio, ſunt acidi fructus frequentiſſime ſumpti, cujuſmodi ſunt mala granata, aurantia Hiſpalenſia, limones, acerba poma, & ſimilia; ſed ante omnia aceti vinacei modicae potiones, quibus aliae res infuſae, quales ſunt radices gentianae, cyperus, zedoaria, & baccae juniperi, ſtomacho gratiores reddant. Et haec quidem medicamenta aceti acrimoniam, & malos quoſdam ejus effectus tollendo, quibus ſtomacho alias officere poſſet, haud parum proficient; quae tamen, cum aliis omnibus calidae naturae pharmacis aromaticis, auctoribus quantumvis commendata, ſi ſola adhibe-

adhibeantur, ſanguinem nimis calefaciendo nocitura potius videntur.

Fonticulorum etiam uſum nequeo quin comprobem; qui, ut mihi videtur, in femine paulo ſupra genu commodiſſime incidi poſſint. Praeterea mos tabaci fumum hauriendi, a nonnullis multum laudatus, cum res ſit factu parum incommoda, cur negligatur, non video.

Quum autem nulla ex his rationibus certum aliquod polliceatur auxilium, uti locum infectum relinquere optimum eſt praeſidium; ita huic proximum, ad aegros, aut qui nuperrime convaluerunt, propiorem acceſſum, quoad liceat, devitare. Majoris igitur ſecuritatis gratia conſultiſſimum erit omnes hominum turbas fugere. Imo magnopere intereſſet omnia inutilia hominum

minum conventicula a magiſtratu inhiberi, omneſque, qui ex morbo convaluerunt, prodire ante in publicum, quam domi aliquandiu ſe continuerint, vetari.

Monitum de propiori ad aegros acceſſu cavendo, de cadaveribus etiam intelligi debet; quae, ab aedibus quam longiſſime fieri poteſt, alte humanda, & diligentiſſime contegenda ſunt. Noctu etiam efferri oportet, dum adhuc recentia ſunt, & a putrore vacua; quia cadaver, priuſquam putreſcere incipiat, ſi a calore diurno conſervetur, nullos fere vapores aut effluvia emittit.

Restant quaedam in eorum uſum dicenda, qui neceſſe habent aegros curare. Haec autem ad duo brevia praecepta reduci poſſunt: alterum eſt, ne ſorbeant ſalivam,

ſed

ſed potius expuant, dum verſantur cum aegris: alterum, ne ſpiritum ducant, quando proxime ad illos accedunt. Ratio utriuſque apparet ex iis, quae de modo, quo ſanus contagionem accipit, ſupra diximus. Sin autem conſtans horum praeceptorum obſervatio difficilior ſit, os frequenter aceto colluere, & ſpongiam eo madidam naribus admovere, vicem illorum aliquatenus praeſtare poterit.

Haec eſt ſumma eorum, quibus reor in loco aliquo, quem peſtis invaſerit, progreſſum illius ſiſti poſſe. At ſi qua ex his praeceptis Londinum potiſſimum ſpectant, ad alium quemcunque locum levi mutatione accommodentur. Reſtat nunc ut, quo pacto morbi ab oppido in oppidum tranſitus cohibeatur, exponamus. Optima id aſſequendi ratio, ubi fieri poteſt (urbes enim

enim maximae non admittunt) eſt infectum oppidum, commodo interjacente ſpatio, circumvallare, cuſtodibuſque additis impedire, quo minus aliquis, niſi certis conditionibus adſtrictus, in alia exeat oppida; non autem omnibus egrediendi poteſtatem penitus adimere, qui mos vulgo apud exteros receptus, & in Gallia nunc ſervatus, ſeveritatis minime neceſſariae, ne dicam crudelitatis, ſpeciem habet. Satis erit, opinor, ſi omnibus egredi cupientibus, accepta prius viginti circiter dies in tentoriis aliiſve magis idoneis habitationibus agendi lege, exitus pateat. Sed cura maxima huc debet intendi, ne quis, eo haud prius peracto, quod dicta lege fuerit conſtitutum, exeat; cum diſponendo ubique diligenter vigilias, tum poenas graviſſimas repetendo ab iis, qui ita fecerint, aut facere conentur. Qui ut facilius

lius deprehendi poſſint, ab omnibus, qui in quacunque regionis parte iter faciunt, literae, publica auctoritate munitae, ſub iiſdem poenis requirantur; quibus certum fiat, aut a locis contagionis expertibus eos venire, aut limitibus egredi permiſſum fuiſſe.

Sic longe melius, ne contagio ſe diffundat, fore providendum credo, quam ſi nulla omnino egrediendi libertas permittatur. Cum enim in tam inſtanti mortis periculo homines verſantur, multi ſine dubio clandeſtinam fugam, quanticunque conſtiterit, ſi libera non detur, meditabuntur. Et vix aliter evenire poteſt, quin ſuus quibuſdam ſuccedat conatus; quod in Gallia quo minus ſaepe accideret, ne maximam quidem vigilantiam prohibere potuiſſe videmus. Ab uno autem, qui clam evaſerit, magis timenda

menda erit contagio, quam a viginti aut centum, qui, praeſcriptis legibus parentes, egrediendi veniam impretraverint; idque vel ob hanc cauſam, quod ea diſciplina loci contagium, a quo fugit, multo fiet intenſius. Nam ingens hominum multitudo, in uno loco incluſa, vim morbo adjiciet. Exemplo hoc quadantenus apparet, quod a doctiſſimo Gaſſendo traditum invenimus, in narratione ſua peſtis notabilis, quae Diniam in Provincia, ubi habitabat, anno 1629, populata fuit. Peſtis haec adeo funeſta erat, ut una aeſtate ex decem millibus incolarum haud plures quam quingenti ſupra mille relinquerentur, e quibus vix quinque aut ſex erant, qui morbo affecti haud fuiſſent. Hujus autem tantae cladis illam praecipuam fuiſſe cauſam exiſtimat, quod cives rigide nimis coërcebantur, adeo ut ne quidem

in villas ſuas exeundi libertas ipſis concederetur. Etenim cum alia peſtis poſt menſes octodecim illic erupit, majori libertate permiſſa, haud plures quam centum homines perierunt*.

His adductus rationibus viam credo tam contagionem ſupprimendi efficaciſſimam eſſe, quam eos, inter quos ſaeviat, tractandi humaniſſimam, ſi incolis ab infecto loco, idoneis cautionibus adhibitis, removendi ſe detur facultas. Et ſane infecta oppida circumvallandi ratio, his conditionibus inſtituta, qua nulla certe ad propagationem morbi coërcendam magis accommodata excogitari poteſt, nihil detrimenti locis circundatis adferet. E contrario potius iis proderit, quan-

* Notitia eccleſiae Dinienſis.

doquidem

doquidem cuſtodiae ita ſecuritati eorum provideant, qui convehunt cibaria, ut a metu ſint liberi, quo alias abſterrerentur.

Omnibus id genus timoribus occurrere tanti eſt momenti, ut cum urbes propter magnitudinem circumvallari nequeant, uti, verbi cauſa, urbs haec Londinum, intereſt magiſtratuum ſummam adhibere diligentiam, quo is defectus compenſetur; in quem finem non tantum repagula extra urbem collocari oportet, ſed etiam ea locis iſtis accuratiſſime obſervanda imperari, quae regioni circumjectae ſatis potiſſimum factura videantur.

Quamvis autem exeundi libertas hominibus concedatur; nullum tamen omnino mercium genus, quarum materia contagionem retinebit, extra limites conſtitutos debet tranſportari.

portari. Etenim, quod hic ponitur, cum partem aliquam regionis lues invaſit, cura multo impenſiori opus eſt, ne ſemina ſpargantur peſtifera, quam cum longiori adhuc ſpatio morbus a nobis diſtet: quia mercium faſcis, qui in Turcia, lociſve aliis remotis, contagioſam inter componendum auram combiberit, ex ſalubriori aëris temperamento, cum hic evolvitur, minus forſan noceat: ubi autem aër in oppido aliquo inter nos adeo corruptus fuerit, ut peſtilentiam foveat ac propaget, vix credendum eſt in caeteris regionis partibus illum multo eſſe puriorem.

Ob eandem rationem quadrageſimarum obſervatio ſeverius imperanda eſt, ſi peſtis in oris confinibus, quam ſi in terris remotioribus ſaeviat.

Consi-

Consilium hoc de mercibus datum, non tantum argumentis, quibus merces in loca procul diſſita poſſe contagionem diſſeminare ſupra oſtendimus, abunde confirmatur; ſed multis etiam exemplis malorum, quae ex cautionis hujus neglectu peſtis temporibus fuerint accepta, ulterius illuſtrari poſſet. Duo commemorabo, quae, cum poſtremo morbus iſte inter nos graſſabatur, acciderunt. In oppidum, cui nomen eſt *Poole*, eum perveniſſe ſupra obſervavi *. Illuc autem in circumforanei cujuſdam propolae ſarcinulis allatum fuiſſe, a viris fide digniſſimis accepi. Ad vicum quoque *Eham*, in montuoſo Coritanorum tractu, qui *Peak* dicitur, ſitum, pervenit in ciſta, quae ad ſartorem illuc cum rebus quibuſdam, arti illius neceſſariis, Lon-

* Pag. 139.

dino fuerat advecta. Cum multa autem exemplum hoc poſterius contineat, quibus praecepta hactenus tradita, non ea tantum de mercibus, ſed & caetera omnia, quae ad tranſitum peſtis ab alio in aliud oppidum cohibendum ſpectant, confirmentur; rerum, quae illic tranſactae fuerunt, narratione huic capiti finem imponam. Famulus, qui ciſtam primus aperuit, cum res humidas eſſe quereretur, eas ſiccare juſſus, dum igni admovit, peſte correptus obiit: reliquam omnem familiam idem eripuit exitus, excepta ſartoris conjuge, quae morbum evaſit. Lues inde diffuſa in vico ac reliqua paroecia, licet parva eſſet, ſupra ducentos homines abſumpſit. Quanquam autem tanta violentia morbus ſaeviret, ne tamen paroeciae illius terminis excederet, viri reverendi, qui vicem egit parochi, cura proviſum fuit; a cujus filio, id muneris

neris jam obeunte, alioque viro honeſto, rem, ut facta eſt, didici. Suaſit enim vir prudens, ut aegri ad caſas in agro compaſcuo exſtructas aſportarentur, & nobiliſſimi Devoniae Comitis ope, quae ad victum neceſſaria erant, incolis copioſe ſuppeditari curans, ne quis e paroecia egrederetur effecit; atque hoc pacto vicinos ſuos a contagione feliciter admodum ſervavit.

Praecipuis jam capitibus praeſidii adverſus peſtem expoſitis, praecepta quaedam generalia de curatione ejus adjiciens librum hunc abſolvam.

CAPUT III.

De Peſtis curatione.

EX iis, quae in principio hujus tractatus dicta fuerunt, apparet, peſtem & variolas morbos eſſe inter ſe admodum conſimiles; cum utrique ſint contagioſae febres ab Africa profectae *, quas certae quaedam eruptiones comitantur: ac uti in variolis eruptionum vel puſtularum duplex eſt genus, unde morbus in duo genera, diſtinctum & confluens, diviſus fuit; ita peſti quoque duo eruptionum vel tumorum genera adeſſe oſtendimus.

* Pag. 60.

dimus*. In priori ac mitiori variolarum genere puſtulae ſupra cutem alte inſurgentes, pus digeſtum continent; ſed in altero planae ac depreſſae, cruda ſanie complentur. Inter duo criticorum in peſte tumorum genera major eſt adhuc differentia. Cum morbus eſt leniſſimus, materia morbida juxta corporis extremitatem, in glandularum aliquas molliſſimas, uti in inguinales, axillares, parotidas, aut maxillares ejicitur; cujus primum indicium eſt nonnihil duritiae, calor ingens, rubor, dolorque acerbus juxta iſtas glandulas. Hi tumores, ſi aeger convaluerit, ſicut variolarum diſtinctarum puſtulae, juſta ſuppuratione morbum egerunt. At cum morbus eſt gravior, aut loco tumorum, aut una cum ipſis exſur-

* Pag. 43, 44.

gunt carbunculi; horum primum dat indicium exiguus admodum tumor induratus, haud ullam certam ſedem ſortitus, cum rubore ſubfuſco, violento aeſtu, dolore acerrimo, & ſubnigra in medio tumoris macula. Haec macula gangraenae eſt initium, quae, prout increſcit tumor, ſe latius extendit.

Sed praeter hanc ſimilitudinem in criticis ſuis eruptionibus, manifeſtius adhuc congruit uterque morbus in lividis illis nigriſque maculis, quae in peſte frequenter ſunt, ac mortem inſtantem nunciant; nam eaedem aliquando variolas, nec minori cum periculo, comitantur: immo vidi nonnunquam ſingulas fere puſtulas hac ſpecie indutas. Praeterea in utroque morbo, ſi ſit ſolito malignior, ſanguis aliquando per os, cum urina, aut alio modo excer-

excernitur *. Accedit his, ut ex viſcerum gangraena in utroque mors vulgo conſequatur. Hoc medici inter Gallos ſemper in peſte animadverterunt; idemque in variolis fieri, ex multorum, qui eo morbo perierunt, diſſectionibus, quarum obſervationes penes me ſunt, compertum habeo.

Haec morbi utriuſque convenientia non tantum nos docet, nullum magis ad peſtem, quam variolas, ab antidotis, ac pharmacis ſingularibus ſperandum eſſe remedium; ſed etiam in morbi minus noti curatione, ex iis, quae in altero proſunt, nos diriget.

In ſumma, ut in variolis praecipua pars curationis in primis viis

* *Vid.* Obſerv. & reflex. ſur la maladie de Marſeille, p. 333.

initio

initio purgandis, mitiganda febre, & excretionibus naturae promovendis conſiſtit; ſic in peſte curanda eaedem rationes locum habebunt. In eo maximum ponitur diſcrimen, quod in peſte multo ſaepe acutior, quam in altero morbo, ſit febris; ſtomachus nonnunquam & inteſtina inflammentur; & eruptiones externa medicamenta requirant, quae ad variolarum puſtulas raro ſunt neceſſaria.

Cum febris vehementiſſima ſit, ea, quibus calor leniatur, adhiberi convenit; quod ut in variolis plerumque utiliſſimum eſt, ita hic magis neceſſarium. Sed ubi pulſus langueſcat, nec calor ſit immodicus, cardiacis potionibus moderatis uti oportet.

Stomachi & inteſtinorum ad inflammationem proclivitas facit, ut

vomitus

vomitus plerumque non aeque in peſte, ac in variolis tuto adhibeatur. Leniſſima vomitoria, quorum nullum ipecacuanha eſt melius, ſumenda ſunt; & diligenter cavere oportet, ne ſtomachus vel inteſtina, dum adminiſtrantur, inflammatione laborent; quod ſi eveniat, mors certa ab iis intentatur; aliter ſub initiis ſemper proderunt. Primo igitur morbi acceſſu accurate attendendum eſt, an ulla inflammationis indicia in iis corporis partibus ſe oſtendant; quorum ſi qua forte appareant, omnes omittendae ſunt vomitiones; ſin minus, ſtomachus leniter eſt movendus.

Eruptiones, ſive glandularum tumores, ſive carbunculi, non, uti fit in variolis, naturae arbitrio ſunt permittendae; ſed quantum poteſt, extrinſecus admoveri debent,

quae

quae opus ſunt, ut ſuppurent. Utrumque tumorum genus ſimilem tractandi rationem ex maxima parte requirunt. Alterutri, ubi primum apparet, cucurbitula ſine ſcarificatione adhibeatur; & cum ea aufertur, cataplaſma ſuppuratorium, vel emplaſtrum ex gummi calidae naturae confectum, imponatur.

Si, quod plerumque fit in carbunculis, tumores non ſuppurent, ſed ἰχὼρ per poros exeat; aut ſi tumor mollis ſit tactu; aut denique ſi incruſtatus nigreſcat: tum inciſione, vel in tumoris longitudinem, vel decuſſatim facta, aperiri oportet. Et ſi qua pars gangraena corrupta ſit, ut ſaepiſſime accidit in carbunculo, ſcarificari debet. Poſt haec neceſſe erit ſanguinem ſiſti, atque humorem cauterio exſiccari: deinde vulneri adhibeantur linamenta & peniculi,

peniculi, peptico vulgari, ex terebinthina cum vitello ovi confecto, illita; & in mixtione, cujus duae partes ex oleo terebinthinae calefacto, & una ex ſpiritu ſalis ammoniaci, conſiſtunt, vel in balſamo terebinthinae, intincta: atque his cataplaſma ex theriaca Londinenſi ſuperinjiciatur.

Postridie vulnus calido ex plantis aromaticis fomento, cui vini ſpiritus admiſcetur, perlui oportet, ut, ſi fieri poſſit, digeratur, quo reſolventur cruſtae. Ulcus deinde, uti in abſceſſu communi fieri ſolet, tractetur.

Praeterea cum glandularum tumores ſuppurant, non manendum eſt, dum materia ad cutem exteriorem pervenerit; ſed via eſt aperienda, ubi primum ceperit aliquid incrementi; quoniam hi tu-

mores alte in glandula oriuntur, & haud raro ante putreſcunt, quam cutem attigerit ſuppuratio: quod Gallorum medicis in cadaverum multorum diſſectione fuit exploratum.

Haec eſt peſtis tractandae ratio, ſi in morbo curſum naturae teneamus. Sed aeger hic, licet cura, ut cum maxime, adhibeatur, tantum plerumque adit diſcrimen, ut humano generi in hac calamitate maximo foret uſui, ſi qua via minus periculoſa, quam illa naturalis, ad corruptos humores ejiciendos arte poſſet reperiri. Ad hanc rem larga ſanguinis miſſio & profuſus ſudor non ſine experientia nobis commendantur.

Clarissimus Sydenhamus *, qui utraque harum exinanitionum uſus fuit, duo de iis acerrimo judicio

* De peſte.

obſervavit.

obſervavit. Unum eſt, quod tentari illas non oporteat, niſi in morbi principio, antequam naturali curſu diu invaluerit; alioquin nihil aliud expectandi locus erit, niſi ut omnia, ſine ullo commodo, perturbentur. Alterum eſt, quod nullum omnino ſucceſſum ex alterutra earum expectari liceat, niſi admodum fuerint copioſae; quandoquidem tantam malignitatem evinci poſſe minime ſperandum eſt, ſi non audacius aliquid attentetur, quam morbis uſitatioribus conveniat.

Sanguinis miſſionem, ut nuper ex Gallia intellexi, medici quidam illic tantopere uſurparunt, ut die, quo morbus incepit, primum duodecim circiter uncias, deinde ad ſingula binarum horarum ſpatia quatuor vel quinque detraxerint. Atque ea res proſperrimum ſucceſſum habuiſſe ab iis dicitur, ptiſa-

narum tantum refrigerantium, aliarumque ejuſmodi ſorbitionum adjumento, quas ſimul affatim ſumi praecipiunt. Tam larga ſanguinis detractio, haud aeque forſan noſtrorum corporum, atque illorum, conſtitutioni congruat; in morbis enim vulgaribus uberius id facere, quam nos, ſolent: in hoc tamen morbo liberalius, quam in quovis alio, ſi quid commodi ex eo ſperemus, ſanguis mittendus eſt. Quantum detrahi oporteat, nondum id expertus diſerte non definiam: illud tamen non ab re ſit admonere, in re adeo deſperata conſultius eſſe, aliquantum adire periculum, ne modum excedamus; quam juſtam quantitatem non detrahendo, ut aeger intereat, permittere.

Sudor, quae altera eſt ratio propoſita, per horas viginti quatuor nequaquam

nequaquam intermitti debet, ut monet Sydenhamus. Qui ea, quae huc ſpectant, adeo diligenter praeſcripſit, ut paululum reſtet, quod mihi opus ſit dicere. Illud igitur tantum adjiciam, theriacam, aliaque hoc genus ſolida medicamenta, quae ſtomachum offendunt, ad ſudorem eliciendum non maxime eſſe idonea. Magis mihi arridet ſerpentariae radicis Virginianae, vel, ſi haec deſit, alius cujuſdam calidi aromatici in ferventi aqua infuſio; quarta parte aquae theriacae, & idonea ſyrupi limonum, ut dulceſcat, quantitate addita. Hujus optimos vidi effectus in morbis, quibus eadem eſt natura, ac febri carcerariae, quae ad peſtem proxime accedit.

Num alterutra harum rationum, hoc eſt, ſanguinis miſſio, aut ſudor, rei propoſitae reſpondeat,

deat, necne, uſus ſolum diuturnior oſtendet; periculum tamen facere omnino oportet, praeſertim ubi ex naturali morbi curſu parum ſucceſſus expectetur.

FINIS.

Errata.

PAG. 5. *v.* 13. *lege*, glandularum. 47. 21. adveniant. 64. 7. ſenſerunt. 75. 21. ſenſibiles. 112. 9. quam—extinguebatur. 122. 4. periculoſum. 133. 20. tantum. 134. 15. praecipuus. 163. 4. impetraverint.